BIBLIOTECA NAZ.
110
C
3.4
NAPOLI

110
6
3

Digitized by Google

115. Cg

Google

COLLECTIO
POETARVM ELEGIACORVM
STYLO, ET SAPORE CATVLLIANO

SCRIBENTIVM

CVM GEMINA DE EODEM DIATRIBE.

QVIBVS AD FINEM MANTISSAE LOCO SVBIECTA
EST SYLLOGE IDYLLIORVM, ET EPIGRAMMATVM
EX EISDEM SCRIPTORIBVS SELECTA.

COLLEGIT, CASTIGAVIT, PRAEFATVS
EST, SVAS ACCESSIONES INEDITAS
ADDIDIT

CAROLVS MICHAELER

*BIBLIOTHECAE VNIVERSITATIS
VINDOBONENSIS*

CVSTOS CAESAREVS REGIVS.

B. R. NEAPOLIS

VINDOBONAE,

TYPIS JOSEPHI NOB. DE KURZBEK,
AULAE TYPOGRAPHI, ET BIBLIOPOLAE.

MDCCLXXXIV.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO VIRO

IOSEPHO

A

SPERGES

LIB. BARONI DE PALENS,

ET

REISDORF

REGII ORDINIS S. STEPHANI EQVITI

AVGVSTIS. IMP. CAESARIS A CONSILIIS

IN REBVS STATVS ITALICI.



Quem pol! inveniam nova ſenecta
Cornelii meritum in locum Nepotis
Sic ſuccedere, Patris ut cati haeſit
Veſtigiis ſoboles recentis aevi,
Fideles Catuli probi Catulli?
Cujus auſpiciis recentioris
Hoc Muſae ſpecimen novum dicabo?

SPERGESI ! Tibi; namque Te a Catulli
Parte ex Hendecaſyllabon Tuorum
Dudum ſchemate ſtare favitorem
Scimus: & Latiae fugam Camaenae
Te jam praecipitem tuo morari
Exemplo, & monitis: ſuum & Patronum
In Te Pieridum choris favente
Scimus Inſubricas amare Muſas.
O & delicium, decusque noſtrae
Immortale Tirolis! Eruditae
Vt Cornelius elegantiae olim
Omnis, atque ſui Catulli amicus,
Mythici, hiſtoricique amator aevi,
Aeternis, brevibusque geſta chartis
Heroum celebravit, & latebras
Priſci temporis aſſequutus imas
Vindex evoluit recluſa, & omnes,
Quos claros habuit viros vetuſtas,
E longis tenebris, ſituque fœdo

Digitized by Google

Ereptos ſupera dedit frui aura.
Is Padi accola, municepsque Tibris
Celtam in ſe ſociavit, & Quiritem.
Sic Tu praeda opulens duorum in unum
Germanosque, Italosque nomen aptas,
Sollers Caeſareae Miniſter Aulae;
Et quidquid populos facit beatos,
Procurans ſtudium par, & laborem
Tu mentis jugiter ſacras utrisque.
Sed nec Te fugit, intima ſub alvo
Quod natura tegit fovens, opesve,
Terrae viſcera queis tument, metalli.
Jam vero Hiſtoriae Tibi altiora
Scrutanti monimenta, nec vetuſtas,
Aetas nec potuit recens ocellum
Morari ſcrinia omnia arbitrantem.
Nunc tandem otia fac amœnioris
In pectus redeant Tuum Minervae.
Da, SPERGESI, aliquando publico ſat

Functus munere, ſeriisque curis
Laſſus, verſiculis brevem vel horam.
Sic mentem invenient ſibi benignam,
Et ſtylo vacuam hi manum libelli.





MVSAE SPERGESIANAE, SPECIMEN

EX

EIVSDEM POEMATIS IVVENILIBVS

Quod tanto minus euram in publicando noſtram praeterire heic debuit, quanto difficilius fuit collectum, ac, ut ederetur, Ill. Auctoris venia impetrata.

Ad Sodales academicos in diſceſſu Roboreto Vindobonam.

O quas in patrio diisque amato
Lemni litore, roboris ſub umbra

Florentis, prope ſuſpicit Tyrolis
Suas delicias, ſuosque ocellos
Ludentes cythara; quibus diſerta
Jovis filia & Atticos lepores,
Et cum molliculis metris Etruſcis
Latinas veneres dedit benigne:
Vobis, quum me hodie ſedere veſtro
In cœtu ſuperi annuant faventes,
Aequum eſt dicere, quas magis referre
Gratias cuperem ipſe jam ſodalis,
Sane, nec nimium ſciens Latine,
Graecis literulis nec eruditus,
Nec Thuſcis ſalibus ſatis politus.
Verum quem voluiſtis obtinere
Locum in caetu hominum venuſtiorum:
Si veſtro in gremio frui liceret
Receſſu, atque ſequi tam amica Muſis
Otia, o mihi quae beata vitae
Forent tempora! dum politiores
Quique ſunt comitate literata,
Cives inter ego ſacram quietem
Sectarer, ſtrepitu tumultuoſae
Vrbis, quae vocat hinc, procul relicto,
Vos ſolas, Heliconiae puellae,
Sacro ſemper amore deperirem.
Quam læta acciperem aure concinentum

Digitized by Google

Vatum carmina, ſeu ſeverioris
Inſtituta ſcientiae, ducumque
Magnorum inclita geſta, ſeu latentis
Naturae ingenium, arduasque vires;
Et quidquid veterum docent magiſtrae
Aevorum hiſtoriae, ſacrive ritus.
Sed veſtro procul hinc ſuas ad oras
Iſter me vocat ex ſinu, Sodales.
Auguſta & Domina id jubet. Valete.
Vnum quod ſupereſt, Deos, Deasque,
Vrbis Roboreae, hujus & amicae
Bene ut ſit genio domus, precabor.

Ad Blancam Saibantiam Vanettam.

Numquid, Caſtaliae decus coronae,
Quam Phoebus pater & ſacrae ſorores
Amant, Blanca, parum tibi videtur,
Nec ſat officii, quod omnium ille,
Quot quot ſunt hominum elegantiorum,
Jucundiſſimus, optimusque amicus,
Quo gaudes ſimul optimo marito;
Veſtris me laribus procul remotum
Pergat literulis ſuis fovere,

Queis nil dulce magis, magisque carum:
Ni tuas quoque nuper addidiſſes,
Tanto munere nil minus merentem
Mactans inſolito novoque honore?
O me, cui ſuperi favent benigni,
Felicem nimis, & nimis beatum
Iſto pignore! gratias referre
Nequidquam cupio: poeta ſaltem
Molli carmine nec laborioſo
Auſim dicere, nec ſatis polito.
Sed tu da veniam peſſimo poetae.
Deinceps Harpocrates ero, tuamque
In mentis tacito meae receſſu
Virtutem meminiſſe me juvabit.
Ante ſacrilegus labor gigantum,
Quum bello peterent patrem deorum,
Saxa praecipiti revulſa monte
Quae Marci attonitus ſtupet viator
Per ripas prope ſparſa Roboretum, (*)
Excelſum repetent jugum: ſuamque
Ante Lemnus & ipſe Baſelani (**)

(*) *Innumera & immenſae molis Saxa ad vicum Marci in via, quae Roboreto Veronam ducit, ſparſa reperiuntur.*

(**) *Lemnus, vulgo Lenus, fluvius in monte Baſcelano ortus, civitatem Roboreti praeterlabitur.*

Natalem refluens videbit urnam :
Blanca , pectore quam meo recedat
Vnquam imago tui , ac tui mariti ;
Quem ſuum cuperet vel Arnus ipſe ,
Lemno Pierium invidens alumnum ,
Joſephum quoties ſonis etruſcis
Audit ludere melle dulciores
Verſus , Caſtalio deoque plenos.
Salvete o igitur, perennis urbis
Splendor Roboreae , virens uterque
Doctrina , ingenio , fide , pudore.
Ecquando ſuperi dabunt ſecundi ,
Vt veſtro , Lagaris redux ad oras ,
Fruar colloquio facetiiſque ,
O quam candidulis & eruditis !
Quam cordis memori ſinu recurſat
Sermo dulcis & attico lepore
Conditus ! Reliquos ſimul ſodales
Diſertos pariter , comes , venuſtos
Cum vobis videor mihi intueri :
Fratrem , Blanca , tuum , mihi tam amatum
Franciſcum ſimul , ac ſacris Camoenis.
Jam Clemens animo Baronus haeret
Clarus ingenio & gravis : Sophia
Cui ſapit melior , latentis ultro
Naturae referans ſacros receſſus.

Malſatus Baro tum Valerianus,
Qui Muſas ſequitur ſeveriores
Wolfii auſpiciis: & ore cui rotundo
Phoebus verſiculos dedit latinos
Fundere. O Venuſino & ipſe Flacco
Pinguior, Federice, ades Todeſchi,
Nec te jam liceat tacere, Feſte,
Vanetti aſſiduus comes, fidelis:
Ut heram ſequitur ſuam catella:
Te ſacrae juvat eruditionis,
Laus, & religio, probique mores.
O quae ſors bona, candidi ſodales,
Me veſtrae medium dabit Coronae
Et veſtra faciet frui Camoena,
Jocis & numeris leporibusque,
Queis nil ſuavius elegantiuſve eſt?
Te quoque, ad veteres redux amicos,
Clementine (*) puer tenelle, care,
Ludentem patria in domo viderem,
Audiremqne patris citare verſus.
Hunc omnes Veneresque Gratiaeque
Servent incolumem diu, parentum
Curam & delicias. Apollo pulcher,

(*) *Clementinus Vanettus, hodie ob ingenii praeſtantiam & omnigenae literaturae cultum magna nominis celebritate apud eruditos floret.*

Huc ades, puerum tuere, primis
Parentes tibi quem dicant ab annis,
Tu cum conjuge, Blanca, vive felix,
Tui Spergeſii memor, valeque;
Et tecum quoque mater & ſorores.

In Joſ. Rieggerum adoleſcentem, quum Hiſtoriam Plauti & Terentii ederet.

Quos linguae latices juvat latinae
Sinceros bibere, & minus lutoſos
Vos modo, Auſtriacae decor juventae,
Auguſtae auſpiciis, deumque dono
Manent tempora tam beata. Noſtris
Aequus en iterum Scholis Apollo eſt,
Poſt longum exilium redire juſſit
Ad vos, o pueri, ſuos ocellos
Plautinae numeros jocosque Muſae,
Et docti faciles ſales Terenti,
Queis nil purius elegantiusque
Roma protulit, aut magis diſertum;
Sed cum judicio tamen legendos.
Cumque illis redeat, precor, venuſtas
Romani eloquii, Vienna quam olim

Celtis tempore caſtius colebat.
Priſcos ſpero redire gratiarum
Flores omnium & omnium leporum,
Ac laetas veneres: ſimul ſequentur
Dextro Apolline jam & ſeverioris
Inſtituta ſcientiae, virumque
Doctorum ſtudia & probi labores.
Sic ſperare jubet libellus iſte
Frugis plenus & eruditionis.
Hunc vobis, pueri, dicat puellus,
Magnum Scaligerum auſus aemulari:
Ipſe floſculus elegantiorum
Quidquid eſt juvenum, ſacris Minervae
Qui jam ab unguiculis ſtudent tenellis.
Is ſpernens animo vagae juventae
Nugas putidulas, jocosque inanes,
Vix pubes ſequitur ſacram Minervam,
Et refert patris indolem, verendae
Qui clarus Themidos ſedet ſacerdos.
At vos, o juvenes, amate deinceps
Plantinae numeros jocosque muſae,
Et docti faciles ſales Terenti.

Fons

Fons villae Merſianae prope Tridentum aquae luſibus nobilis.

Illa Tridentinas inter non ultima nymphas,
    Et Villazani gloria prima ſoli:
Quae quondam patrio neglecta & ruſtica cultu,
    Errabam dubiis laeta per arva viis.
Et Novalina ſoror quamvis mihi ceſſerit ultro,
    Velaque; & excelſi Sardaneae latices;
Sorte premente tamen muſcoſa ignobilis urna
    Vix poteram Satyros allicuiſſe vagos.
Sed fato meliore frui, mihi Merſius urbis
    Andreae patriae conſul amorque dedit.
Aedibus excepit propriis, juſſitque virentes
    Hortos perpetuo rore rigare ſuos.
Quamque vides metuisque, dedit mihi conſcius urnam:
    Hanc metuunt ipſi, numina grata, Lares.
Ipſe etenim lautis mediam me ludere menſis
    Invitis voluit ſaepius hoſpitibus.
Sed conviva meam, innocuam licet, horruit artem;
    Damnavitque jocos, fugit & inſidias.
Si tamen effuſa, ſolito laſcivior, urna
    Nobilibus poteram diſplicuiſſe viris:
Ille excuſabat, madidis & blandus amicis
    Frenatas verbis conciliabat aquas.

Orbatam domino, me heres virtutis avitae,
Filius & conjux ornat amore pari.

Ad Joſ. Ramaginium, quum ab eo quatuor poetarum juvenilia carmina Lugduni Bat. edita dono accepiſſet.

Quid! tune Aonii chori ſacerdos,
Quo nil virgineum magis putabam,
Mittis verſiculos ſubimpudicos,
Molles, improbulos, catullianos,
Quos, dum fervidior furebat aetas,
Tui, Gallia, principes poetae,
Nec caſti nimis, at nimis venuſti,
Sacrarunt Veneri & ſuis puellis?
Hos tu jam mihi dedicas, ſuperbo
Inſcriptos titulo. Aſt brevi nefandum
Vlciſcar facinus: tibi libellum
Mittam tam illepidum, tam & invenuſtum
Vt nil frigidius, magisque dignum
Alpino ingenio, inferisque, jure
Queis dudum ſacer eſt, diis putaris. (*)

(*) *Hiſtoria mineralogica Tyrolis a Poeta eodem anno edita.*

Sed hos verſiculos inelegantes
Dum legis, facinus tuum expiaſti:
Jam doni quoque te tui pigebit.
Certe non ero dein tibi Catullus.
Sed nec dein ego te putem Catonem.

In Rudolphi Coronini Comitis nuptias cum Maria Anna Dietrichſteniana.

Succenſent, Rudolphe, tuis duo numina taedis,
Et timet iratas ſponſa novella deas.
Quem Pallas, Clioque diu noctuque ſequuntur
Luſtrantem priſci temporis hiſtorias;
Dum Goritiacos faſtos, Comitumque Tyrolis,
Auguſtae auſpiciis, edere pergis avos,
Et patriae monumenta tuae, tabulasque vetuſtas,
Quas ſitus immodico pulvere preſſit iners:
Cur alios, quaeſo, amplexus ac oſcula quaeris?
Abjiciendus amor, vel minuendus erit.
Ne dubites, inquis, ſtabunt ſua jura cuique.
Integer, at vario tempore, ſtabit amor.
Si Marianna mihi, pariter mihi Pallas amatur:
Ordine quaeque ſuo, tempore quaeque ſuo.
Sed neque praereptum ſibi diva queratur honorem,

Vel ſibi mortalem forte praeire putet.
Ordine prima manet: divam Marianna ſequetur.
Illa diem, noctem vindicat iſta ſibi.
Dii igitur faveant: ut nox foecunda diurnos
Ingenii foetus aequet, Amice, precor.

Arx Strigonienſis a ſuo Praeſule deſtructa.

Triſtis quae ſedeo, ſuperba quondam,
Sparſas, heu facinus! vides, viator,
Cum ipſis viſceribus meas ruinas
Arcis, quae fuerat vetus meorum
Sedes pontificum ſimulque regum.
Illaeſa Odryſio ſub hoſte ſtabam,
Evaſique meam, redemta fruſtra
Multo Chriſticolum cruore, cladem.
Nunc me religio, ſacrasque moles
Augendi pius heu! furor jacentem
Damnavit, veterum perennis oſor.
Non is marmoreis pepercit aris
Caelatove operi tholorum; & ipſos
Diſperſit cineres & oſſa patrum.
Sed quaedam ſupereſt decoris umbra,

Quam ne deſtrueret furore eodem
Auctoris propera obſtitere fata:
Illius ſi aliis celer nimis mors,
Certe fera nimis mihi putanda eſt,

Auſtria ad Leopoldum Franciſci & M. Thereſiae Augg. Filium quum in lucem ederetur.

Ergo ades, expectate diu, Leopolde, deorum
Munere, ſpes patriae, pignus amorque tuae!
Te ſibi mille volunt populi: te Scaldis & Albis
Poſtulat, & noſtris invidet Arnus aquis.
Sed titulo meliore ſibi te vindicat Iſter,
Moenibus & claudit fida Vienna ſuis.
Es meus: Auſtriaci bene novi inſignia labri,
Plurima & Ambroſio mater in ore ſedet.
En haec noſtra tuis rubet aemula purpura labris,
Quam medio niveus tramite ſulcus arat.
Vix poteris: tenera mox quaeres voce, quis auctor:
Fluxerit unde tuae purpura gentis honos.
Hanc meus ille ſacris olim Leopoldus in armis,
Famae ſiqua fides, victor ab hoſte tulit.
Haec, Leopolde, tuas caelo tegat auſpice cunas;
Surgentem ſolem purpura ſemper amat.

In electione Leopoldi Firmiani, quum Epiſcopo & Principi Tridentino Adjutor & Succeſſor deſignaretur.

Lycidas. *Tityrus.*

Si te nulla domum vocat anxia cura, tuaeque
Jam ſaturae prono redierunt ſole capellae,
Huc ades, & viridi mecum requieſce ſub umbra,
Tityre: me faciles juvat explorare cicutas,
Et nova pro ſacro meditari carmina feſto.
Tit. Quae tu feſta mihi, Lycida, ritusve ſacrorum?
Dic age, nam Majae dudum fluxere calendae.
Lyc. Tene latet, noſtro quae feſta parantur Amyntae?
O quam dulce mihi nomen! quem providus aether
Supremum pecoris cuſtodem oviumque magiſtrum
Languenti ſenio Aegonis dubiaeque ſaluti
Subſtituit, noſtrique pedo donavit ovilis.
Quos igitur divino adflatos numine, Phoebi
Otia ſacra juvant, & agreſtis carmina Muſae,
Rhaetica tam fauſtam certant per paſcua ſortem
Alternis celebrare choris (*) & plaudere cantu.
Tu quoque, ſi quod habes, ſilveſtri carmen avena

(*) *In coetu academico Tridenti.*

Accine: vicino quid enim tua fiſtula fago
Pendet iners, Satyros qua olim, Puerique canebas
Aepolidis, memini, cunas (*) & Chloridis ignes!

Tit. O Lycida, Lycida! nae tu me bacchare cingis!
Non alia eſt nobis, niſi quam male pegimus ipſi,
Fiſtula: nec tamen ex Italis, ſed frigidus Oenus
Quas habet in patrio ſurgentes litore, cannis.
Sed tentabo tamen: jam jam praecordia Phoebus
Tangit, & ipſe favet, noſtroque adſpirat Amyntas
Ingenio, & laetos adflat ludentibus ignes.

Lyc. Magna Pales, Dryadesque & agreſtia numina, Fauni!
Et Satyri, nymphaeque leves, & montivagi Silvani!
Quique Tridentinos ſaltus habitatis, adeſte.
Siqua tamen noſtri vos unquam tangit ovilis
Cura, juvantque vagae per Rhaetica rura capellae;
Huc properate, ſacro ludentes plaudite feſto,
Et manibus ſimul implicitis agitate choreas.
Plaudite, namque gregis curam ſuſcepit Amyntas.

Tit. Praerupti montes, & amica in vallibus Echo!
Bondonique cavae cautes, ripaeque Trilaci (**)
Et quos exiguo divulſas tramite fauces
Vela ſecat, medioque Pahi ſurgentia dorſo

(*) *Carmen genethliacum Joſepho Auſtriace Principi Juventutis ſcriptum.*

(**) *Populi Tridentini ſuorum montium & fluviorum nominibus deſignati.*

Culmina, nec Cereri, dulci nec inhoſpita Bacche,
Reddite tam fauſtam jucundo murmure nomen.
Plaudite, namque gregis curam ſuſcepit Amyntas.

Lyc. Et vos indigetes Atheſis per litora nymphae
Seu vos docta tenet Lagaris, ſeu ripa bilinguis,
Et queis Avilius, vel celſa Noſius urna
Frigidior placet: & puris quas Cliſius undis
Sarcaque, Ponaliſque lavant, & Ferſina, & ipſe
Benacus: plenis ſimul huc properate caniſtris:
Spargite luteolas, alpeſtria munera, menthas,
Muſcoſoſque alios per paſcua ſpargite flores.
Plaudite, namque gregis curam ſuſcepit Amyntas.

Tit. Pergite jam tuti teneris cum matribus agni,
Pergite felices, & carpite gramina tauri.
Paſtor adeſt, cujus rapidas tutela luporum
Inſidias clauſis procul a praeſepibus arcet.
Plaudite, namque gregis curam ſuſcepit Amyntas.

Lyc. Quid tam propitio, paſtores, ſydere nobis
Non ſperare licet? Melioris tempora ſortis,
Et laetae venient ſegetes, ſoleſque ſereni;
Seu quum pampineae ſtillant de palmite gemmae;
Seu matura novis ſpumat vindemia labris.
Ipſa etiam relegent antiquos flumina curſus:
Non Atheſis deinceps ſinuoſo litore ſpumans,
Aggeribus fractis noſtros irrumpet in agros:
Nec riguis cladem, ut nuper, minitabitur arvis:

Ferſina, qua tanti dudum periere novales,
Mollior & noſtros, mihi credite, veſtiet agnos
Lana, nec Euganeis poſthac ſpernenda colonis.
Quin pecus adſpicite, ut noris jam laetior arvis
Ludit, & injuſſae veniunt ad mulctra juvencae.
Non tribulis horrebit ager: nec cruda nocebunt
Frigora, nec nimii ſoles, vermesque maligni.
Plaudite, namque gregis curam ſuſcepit Amyntas.
Tit. Tu vero, o noſtri ſpes unica ruris, Amynta!
Praeſidium, columemque gregis, cui muſica Phoebi
Sacra placent, tenuem, quaecunque eſt, accipe Muſam
Sic nomen laudesque tuas, mea votaque blando
Sponte leves diſcant zephyri reſonare ſuſurro.
Lyc. Deſine, jam ſatis eſt: graciles ſtridere cicutae
Incipiunt & jam lentos jubet occiduus ſol
Tauros & ſaturas ad ſepta redire juvencas.

Ad Comitem Aloyſium Miniſcalchum Veron. quum Poetae carmen ſuum didacticum de Morum cultura mitteret.

E mediis, vates, Atheſis pater arrigit undis
Limoſum, numeros te modulante, caput.
Jam plectro celebrata tuo Thisboea ſorores

Arbor Caſtalias cepit amore deas.
Inſolitis verum plantis ſua culmina Pindus
Miratur, manibus conſita Pieridum.
Quin fama eſt, cum fratre ipſas, Helicone relicto,
Nunc prope Benacum rus habitare deas.
Jamque ferax Phoebo prae lauro morus amatur,
Nempe parat fronti debita ſerta tuae.

Ad Janum Caſperium, quum Poeta illi librum theologaſtri Juvav. mitteret ad levandum jejunii taedium.

Calvus molliculo auſus eſt Catullo
Saturnalibus optimo dierum
Dono mittere peſſimos poetas,
Nempe ut continuo die periret.
Indignum facinus! minus protervus
Certe dicar ego; tibi libellum
Dum tetri inſipidum theologaſtri
His aegri ſtomachi offero diebus
Plenis triſtitiae atque nauſearum.

In libros Januarii Sixti, linguae ſacrae Magiſtri Neap.

Quisquis amat veteris divina oracula legis,
Scrutari, & ſacris abdita ſenſa libris:
Diſcat Idumeae ſolers myſteria linguae,
Quae niſi perlongum non referat ſtudium:
Hauriat & puris e fontibus, ardua Sixti
Sedulitas facili quos aperit ſtudio.
Tum bene pro tali cupiat tibi, Sixte, labore,
Vtaturque tui fructibus ingenii.

In Baronium Sacenſem, ejusque ſponſam, dum eadem navi cum Poeta ſecundo Atheſi vehebantur.

Extera quod thalamos captaret nympha Baroni,
Praematura Atheſim torſerat invidia.
Aſt hodie mediis illam dum conſpicit undis,
Gaudet, & ipſe ſuas laetior urget aquas:
Quin, ait, o noſtri felicia litora Saci!
Nulla poteſt ſponſum ſponſa decere magis.

De Jac. Trivultii aenea imagine in vinea prope Baciam reperta.

Ni Trivultiadis properatis Fata! quietem,
Nulla mihi eſt: victae vox fuit Inſubriae. (*)
Ad dominum ſed grata ſuum ſic Vacia fatur:
Si mea vota valent, ſit tibi ſera quies.

(*) *Alluditur ad magni Trivultii celebre epitaphium Mediolani:*
HEIC QIESCIT, QUI NUNQUAM IN VITA QUIEVIT.

In morte Joſ. Valeriani Vanetti ad ſodales Roboretanos.

Invida non totum rapuerunt fata ſodalem:
Spiritus in Blanca conjuge vivit adhuc.
Quos amor, & paribus ſtudiis conjunxit Apollo,
Corpore, non animo ſeparat atra dies.
Pignus & ipſe heres Gnatus, niſi ſemina fallunt,
Virtutum ſupereſt, ingeniique patris.

Cum Poeta aedem S. Mariae a larice dictam Hallas inter & Sevacium ſitam, inviſeret.

Virgo, cui laricum ſubmiſſa cacumina nutant,
Quamque procul puris Oenus adorat aquis.
O quam te locus iſte decet! candetque, nitetque:
Haec ſunt partheniae ſymbola certa domus.
Illinc aere graves pandunt ſua viſcera montes;
Albicat hinc nivei vena refecta ſalis.
Aes nitet: at fulvo, virgo, magis aere niteſcis;
Sal candet, magis es candida, virgo, ſale.

In arcis Kuffſtenianae Praefectum, capite plexum, quod Maximiliano I. Aug. illam obſidenti, ſcopis illuſerit.

Deſine nugarum: petulantes abjice ſcopas
Virgarum, & faſces, omina dira, tuos.
Scis parum, in ultrices poſſint quod abire ſecures?
Romulidum faſces, heu cave, Caeſar habet.

Militis ſuſpendio plexi Scheleton in theatro anatomico Oenipont.

Dira fuit ; melior ſed nunc mihi ſors favet , & quae
Invideat Caeſar , fata benigna manent.
Ille ſtetit moriens : ipſo mors Caeſare digna !
Me rectum mea poſt funera ſtare vides.

De Monte gruum , vulgo Kranichsberg , nobili praedio Archipraeſulis Viennenſis.

Kranichsberga , tibi auſpicio , non forte , dederunt
Antiquum vigiles nomen & omen aves.
Praeſulis has facri vincit vigilantia , & ipſos
Praecelſos montes ardua mens ſuperat.

De Vaciae inſtauratione.

Vacia bis felix , ſapientis cauta Lycurgi
Si mens Daedalium temperat ingenium.

Digitized by Google

In Ludov. Bertrandum Neandrum Jo. Miltonis επιτεμνευον.

Te, primi caneret qui patris fata, latino
  Grandius & brevius carmine, nemo fuit.
Ingenio vatis tu debes multa Britanni;
  Judicio aſt debet non minus ille tuo.

In eundem, quod libro VI. Aeneidos ſupplementum ſcribere adgreſſus fuerit.

Quid tua Muſa novi non audeat, auſa Maronis
  Nulli tentatas increpuiſſe tubas?

Puellae certamen pro pudicitia tuenda.

Ruſtica forte ſuum ſcandit foenile puella,
  Quam ſequitur captans dulcia furta puer.
Me petis? arrepto mox foeni ait illa maniplo:
  Armatam invenies: vae tibi! ſi ferio.

Tumba Pantaleonis Bortii Can. Trid.

Hoc, quisquis es, viator, ſcire te velim:
Doctrina, pietas, candor heic jacent;
Si dubitas, Tridentum conſule, & abi.

In Julii Rosmini effigiem a Car. Bettono adumbratam, dum Benacum Poeta comite navigabant.

Ingentes Roſmini humeros faciemque verendam
Bettoni in mediis dextera pinxit aquis.
Ne vero & labris infunderet arte loquelam,
Obſtitit adverſus, quo tumet unda, Notus.

Ad Adrianum Kembterum georgicorum ſcriptorem latinum.

Tu veterum praecepta docens, rurisque labores
Diceris media natus in Arcadia.
Sed cultum ingenii ſpectans, linguaeque nitorem
Te civem agnoſcet Roma vetuſta ſuum.

De

De ſodalibus Academiae Roboretanae, quum necem Baccoci canis carminibus deplorarent.

Quid non humani ſperabit amicus ab illis,
Qui fato poterant ingemuiſſe canis?

Ad Hieron. Lipatum, quum Decani munus ſolito ſacchari dono auſpicaretur.

Necquidquam ſperes, animos dulceſcere amaros;
Quin, Lipate, ſalem porrigis, ut ſapiant?

PRAEFATIO.

Novennio abhinc, longe me res alias accurante Oeniponti, ubi *Tabulas veteris linguae Teutonicae Parallelas* edere tum moliebar, Amicus quidam Auguſtae Vindelicorum Diatriben meam *de Stylo, & Sapore Catulliano*, non niſi per amicorum interea manus clanculum trajectam, etiam juris publici facere meditabatur. Quae porro ea de re noſſe attinet, ex Praefatione

Google

Editoris, qui ſcriptionem illam ſub annum CIↃ IↃCC LXXVI. litteris, ſumtibusque Mauracherianis ibidem foras dedit, cognoſcere infra licebit. Mirum quidem emunctae naris Lectoribus videbitur, cur ea in Diatribe nullus Cunichio, nullus Zamagnae honoris locus detur, quorum auctoritatibus ſaepius quam opportuniſſime adjuvari poteram. Sed enim cum haec lucubrabam, necdum ad nos fama de eisdem vel tantillum attulerat, quod ego compendii facere tum potuiſſem. Vapulabam inter initia ab ipſomet amiciſſimo Jano Montigena, ſive Johanne Spennero, quod deſertis Ovidii caſtris, in quibus uterque aliqua cum laude meruiſſe videbamur, ad alias me partes & commentando, & evigilando applicuiſſem. Sed accepi poſtmodum ab internunciis, hunc quoque, cum Friburgi Brisg. Profeſſor Poëſeos nihilo minorem in publico, quam intra privatos antea parietes ſibi peperiſſet exiſtimationem, hac itidem de re, in qua amice diſſidebamus, non modo eadem arrepta ſententia in gratiam mecum rediiſſe, ſed & ſimilibus numeris ſe

palam jactaſſe, cum Potentiſſimae Galliarum Reginae M. Antoniae ibi ex itinere ſtativa facienti Vniverſitatis nomine Epithalamium conderet, magna paſſim gratulatione exceptùm. Ac raro tum quidem ad me vel litterulam ſcribebat paene obitu tenus, morbis, quibus nec fides habebatur, quoad mors convinceret, negotiisque prohibentibus. Sed haec ſibi tamen nuptialia Carmina praelo tum ſplendido edita, admodum cordi fuiſſe, ſingulari ad me transmiſſione ſignificabat ſub an. CIƆ IƆCC LXX, ac jam paene biennio poſtea animam agens faſciculum carminum poſtumorum, Muſa potiſſimum Germanica, qua itidem valebat, ſcriptorum mihi legavit, cum eſſem Neoburgi ad Danubium, hiſce, quas ſuprema voce dictarat, additis litteris, per mihi gravibus, eo maxime, quod una cum obitus nuncio ad me perferebantur: „Carolo Michaëler ſupremos hos Muſae ſuae partus, adhuc nihil emendatos, neque vero ob „vitae anguſtias unquam porro emendandos dat, „donat, dedicat in teſtimonium amicitiae aeter„nae amico antiquiſſimo, candidiſſimoque amicus

„ moriens Joannes Bapt. Spenner „ . Quo Hominis Suaviſſimi Teneritudo ſane ſibi ipſa monimentum poſuit. De Cunichii autem Elegis poſt Ejus jam Ingolſtadio a me diſceſſionem ſub annum demum CIƆ IƆCC LXVI aliquis ad nos illuc allapſus erat nuncius, ſiniſterrimis jam praevolantibus de eodem arbitriis. Vbi aliquid modo deguſtare fas fuit: pol! quantos continuo in plauſus Amici eruperunt, cum novas ex inſperato cohortes viderent inde ab Apennino nobis ſuppetias venire. Neque tam cito tamen ea valuit ſententia, ſed progreſſu ferme lentiore ſe confirmavit. Quin imo fueram non nullis primum certaminibus laceſſitus, & maxime a quopiam, qui ad Ovidii nomen aſpirare Poëtam veterem neminem poſſe, hujusque ad normam artem omnem eſſe exigendam praefracte contendebat. Cui tum joco reſpondi, animi certum me eſſe, ipſummet, ubi in argumento plane gemino uterque Poëta vetus luderet, primas alteri prae Ovidio daturum eſſe. Accepta ſponſio, quamvis riſu exploſa; rogati teſtes, aurem ut liceret vellere. Annuunt.

Interea locum utrumque exſcribo tum Ovidii, tum Propertii eundem, quem infra in Diatribe §. II. indicatum invenies, transpoſitis duntaxat Poëtarum nominibus, quando illecta eidem haec eſſe carmina facile praeſagiebam. Provocatione aliquanto poſt iterata, condico, ludi conſciis, qui nuper interfuerant. Tum vero ad trutinam non modo verſus vocare ſingulos, ſed & apices quosque, ac totam argumenti tractandi rationem arbiter non ſane ceteroqui inſcitus, atque imo elegans inſtituit. Defendo ego falſum Propertium, utcunque fas eſt. Repellor. Jam res abit in effata ſublatioris ſupercilii. Dum confutat, inſultatque victo, atque ego terga verto: amici libros aperiunt; loca cum veris auctoribus monſtrant. Atque is quidem mirabundus praedictionis agnovit fidem; ceterum id ſibi non immerito eſt gratulatus, ſe quidem iſthic ex vero judicaſſe. Re diſpalata, vel potius conſenſione litterariae cujusdam Societatis, quam lectiſſimi quidam Homines Ingolſtadii tum coierant, amplius comprobata, jam brevi adoleſcentiores quique Ludi magiſtrorum olim ſuorum

ſerulae ſubducta manu, ſui ſe arbitrii ducere, atque ipſa in Inſtitutione poetica liquidiora ſentire ſibi facta omnia, quae prius caeca admodum, & legibus arbitrariis, cauſasque celantibus, prorſus in operto tenebantur ſuppreſſa: jam Cunichius, & Zamagna appellari, conſcribi, lectitari, ac demum haec quoque Diatribe in publicum depoſci. Sed neſcio quo abſentis infortunio acciderat, ut menda in praelum irreperent ſane quam multa, & incommoda, quae jam novae editionis conſilium viderentur requirere. Acceſſerat vero eodem & paulo poſtea farrago non contemnenda ſupplementorum, quibus interibi potitus fueram, jamque Collectionem ſtyli Catulliani paradigmatum magnis acceſſionibus poteram locupletare. Ipſus quoque recentiore vena expreſſeram a me aliquid, quod, ſin minus ingenii, & artis felicitate ſe commendaret; at monimenti ſaltem cauſa exſtare publice vellem, ut ne illos honor juſtiſſimus fruſtraretur, quos ibidem proſequor, quamvis jam partim vita functos, partim longe abſentes. Plurimum vero ad novam, luculentioremque edi-

tionem momenti attulit nupera alterius cujusdam, planeque geminae eodem de ſtylo Diatribes communicatio, quae jam diutius quidem in luce verſabatur alibi; apud nos vero audita vix erat. Debeo eandem peramicae Humanitati Clar. Profeſſoris Hujatis, ac Poëtae ſuismet luminibus ornatiſſimi, Johannis Premlechneri, cui ipſe Auctor Inclytus Criſaurus Philomuſus, vero nomine Eminent. Nunc S. R. E. Cardinalis Angelus Maria Durini, ex Comitibus Modaetiae, Archiepiſcopus Ancyranus, antehac Legatus a Latere, Apoſtolicusque in Polonia Nuncius praeſtantiſſimas ſuas vigilias, ut audio, iſthic commeans dono dederat. Inſcriptio operis, quo hic uſus ſum, praecipui haec eſt: *Poëtarum Elegiographorum Par Nobile Simon Simonides, Leopolienſis Magni Jo. Zamoſcii a Secretis, Raymundus Cunich Raguſanus in Romano Soc. J. Athenaeo Eloq. Profeſſor Nobili Juventuti Polonae propoſiti in exemplum. Quibus praefixa eſt Diſſertatio Criſauri Philomuſi de vera Carminis Elegiaci natura, & optima conſtitutione. Varſaviae in Typographia* 1771. Acceſſit & alia variorum

carminum ſylloge, quae in ipſo Angeli Durini nomine apparuerunt; ceterum nec loci, temporisve indicationem, nec vero communem titulum praeferunt. Non poteram mediocriter affici parto praeter ſpem, notitiemque ſupplemento tam exoptabili, quo non modo ſententiae, animadverſionesque confirmarentur meae, ſed & non pauca preſſius a me dicta, iſthic etiam minutius, uberiuſque dilucidarentur. Ac cum per ſeſe jucundae voluptatis ſit plena inter longe disjunctos, nec ſibi antea cognitos in re prorſus ſingulari conſenſio judiciorum, non in cauſa modo tota, ſed & in peculiaribus quibusque adjunctis vehementer conſpirans: tum vero & novum hic aliud acceſſit ex amicitiae, harmoniaeque litterariae rationibus momentum. Oeniponte cum eſſem ante octennium Viro Clar. Hieronymique Tartaroti Amiciſſimo, & ab Eodem praeclare ſcriptorum Haeredi, Johanni B. Graſero ſucceſſor datus in cathedra Hiſtoriae Univerſalis, ac litterariae; quando Ille ad Theologicam provectus tum pro muneris antea geſti, tum pro ejusdem etiam domicilii neceſſitudine

perbenigne mihi indulgebat: accidit, ut inter ſermocinandum etiam de hiſce litterulis mentio ingereretur. Prolata a me Diatribe, quam Catulli nomine inſcripſeram, cito ſententiae noſtrae ſumma omnis confecta erat; quando Ille totus in easdem partes jam incubuerat, ac mihi aliam contra Clar. Clementini Vanettii' ſui Diſſertationem dono redhibebat, qua Vir Sciſſimus, Lautiſſimusque ſic item Catulli Epigrammata ſupra illa Martialis, & ceterorum ingenio abutentium longe effert, ac vindicat, uti ego pro ejusdem elegis contra Naſonianos depugno. Neque ea re contentus, id addidit amplius, ut libellum meum etiam ad Humaniſſimum Amicum, quem Roboretana Scientiarum Academia ab ſecretioribus litteris ſibi in perpetuum eſſe voluit, ultro transmitteret. Is autem perhonorifico reſponſo, quod item hic infra ruboris, qui mihi eo honore ſuffundi, at iterum aliis rationibus dilui poteſt, plane ſecurus ſubjiciam, illud tantum notabat, non nulla meo in ſcripto irrepſiſſe, quae hominem ultramontanum ſaperent. Atque iſta quidem de

preli fortaſſe mendis accipi queant. Eſt & illa vetus mea querimonia, jam a Clar. Viro Ignatio de Luca in priore parte Auſtriae Doctae pag. 347. indicata. Atqui in Angeli Durini quoque editione tot naevi ſuccreverant, ut in repurgando dies aliquot occuparer. Eſt nempe hujusmodi erratorum ipſis Scriptoribus facienda gratia, quando paſſim in eorum poteſtate non eſt, quod maxime ſatagunt. Neque eo ſecius diſſimulabo, eſſe & alia, quae hominem Germanum ab Italo ſatis diſtinguant, qualis eſt illa interciſio, inſcriptioque paragraphorum, continentis, & uno quaſi filo ducti ſermonis impatiens, ſed commoditati ſerviens Lectorum: ſiccior quoque, a diverticulis alienior, ſeveriorque, & ad rem praeſentem adſtrictior oratio: quae omnia in Italo partim liberiora, partim & liberaliora ſunt, & ita indolem decent illam, uti vulgo dedecerent noſtram. Erit igitur volupe, quid inter gentem utramque interſit, in binis eadem de re Diatribis perſpicere. Et vero ex utraque, ut reor, ſingularis cuique exiſtet fructus quidam eruditionis etiam ab noſtra tem-

peſtate uſque adeo non abhorrentis, ut nulli potius videri tempeſtivior queat. Nam tametſi hodie optemus noſtram in primis floreſcere, inſtar Gallicae, linguam, & quaecunque apud nos uſui eſſe in publicum alicui queant, illa potiſſimum ſcribi, non, ut antehac factum, Latina: tamen multus & porro latiali ſermoni locus erit reliquus, ubi ejus munditiem, caſtimoniamque omnino retinere integram oportebit, primum in iis, quae non ad unius gentis, ſed omnium notitiam pervenire cupiamus; qualia ſunt Linneana, & alia hujusmodi, ubi pudor erit paſſim lutulentum incedere, eamque ob rem minus intelligi, minus, quam par eſt, exprimere: tum in quibusdam aliis, ubi eruditionis veteris ſplendor, ac jucunditas aliam recuſare linguam videatur; qualia Philologorum, & Antiquariorum ſunt plurima. In Verſionibus praeterea ſive ex Graeco, quales Cunichianae, ſive ex Arabico, quales Reiskianae. Denique in Exercitationibus aliquando publicis, crebrius vero in privatis amicos inter, intrave parietes elegantium arbitrorum: quas nulla ae-

tas dimittet, quoad linguae hujus uſui, cultuique pretium multiplex neceſſitas faciet; quippe cujus penitiore etiam cognitione non modo hominum ad munia litteraria exquiſitior delectus, nec modo Regni decus, quod hominum cuique rerum, & facultatum generi jam paratiſſimorum perennem copiam deſiderat, ſed nec ipſa omnium artium, & geſtorum monimenta, quae hoc ſermone ſcripta exſtant, adjumentaque, ſi hominem ad quaevis reip. munia accinctum requirimus, carere nos patiuntur. Atque ego quidem jam diu in ea ſum haereſi, ut Latinam Linguam ex Academiarum cathedris, ad inſtitutionem pertinentibus, exulare maximam partem optarim, uti eam in gymnaſiis eram ſolitus arcere; nam praeterquam, quod intelligentiam, uſumque praeſentiorem moratur audientium: tum vero & detrimentum ipſamet maximum inde cepit: neque vero Sanctiani hac de re Paradoxi, uſu factus certior, potui non eſſe ſubſcriptor: etenim nimia celeritas, volubilitasque ſermonis ex hiſce pulpitis, verborum iſthic delectum omnem, munditiem-

que, & opportunitatem, maxime apud heſternos propemodum litteratores, ac diuturnae lucubrationis expertes, omnino fruſtratur, ut proin vitio ex triviali oratione contracto, iſti, cum etiam ad ſcribendum poſtea accedunt, eundem inquinatum aſpergant ſermonem, & lues in publicum contagione ſerpat. Atque hi tamen calamitoſam Latinae Linguae miſerantur jacturam, quod e doctis hiſce proſcripta ſubſelliis, damnataque ibi ſilentio, exareſcere proinde, magno poſterorum olim detrimento, jam profecto debeat. Quid vero hoc ominari ſubit? Quippe ni? ajunt. exercitatione enim ſublata, linguam ipſam neceſſe eſt intercidere. Quis hoc negat? Sed apage exercitationem ejusmodi, quae ipſi, quem conſervatum cupitis, ſermoni labem vel maximam afferat. Utique exercitoriam operam & ipſus in primis requiro, ſed illam talem, quae adjuvet magis, quam corrumpat, atque eam non paedagogicam, & praecocem, ut in pueris; ſed ſpontaneis periculis voluptuoſam, & comparata jam penu maturam, ut in Juvenibus, ac Viris.

Tum vero & laudi eſſe praemia velim, publicasqua innoteſcendi opportunitates. Neque id niſi ratione, nullisque ſane Linguae Patriae ingratiis poſtulo: etſi enim arctiores haud paulo limites, hodie quidem, ſermonis Latini uſus, quam ejus notities habeat:- tamen ad hanc quoque exercitatio ita junctim requiritur, ut ſola lectione ejusdem intelligentia abſolvi haud queat; aut eam neceſſe ſit exilem, ac macilentam ſine omni guſtu deſipere, memoriamque magis onerare moleſto cruciare quam utili apparatu locupletare. Quaeve erit in indagandis accurate ſignificatibus, variisque devinctionis, ac poſitus elegantiis ſagacitas, ſi horum nunquam animus eſſe compos, ac particeps velit? Potitum ſe vero non niſi de ſemet experimento intelliget. Tum vero & priſcae linguae veneres nunquam transferre ad noſtram curabimus; niſi cum ſapore, atque inductione in eadem verſati: neque iterum ſapor aliquis, & nativus color exiſtere queat, niſi cum res intermortuas, ſitasque, ſingula minutim tentando, latebrasque permeando omnes, novam veluti ad vitam revocaris, & in ſuc-

cum, ſanguinemque conveteris. Et incitat natura ipſamet, ut unum aſſecutus, adjungas & alterum, ſine quo integritatem tueri, & abſolvere nequeas. Quod vix luculentiore, quam ipſius Ciceronis, exemplo monſtrari queat, qui aliena demum ex lingua ſummus orator in ſua extitit, ipſosque Graecos, antehac identidem aliquid in eo carpere, ac deſiderare ſolitos, imo in his ipſosmet Apollonium Molonem, ut in ejus vita ex priſcis commentatur Middletonus, Poſidoniumque, magiſtros ſuos, etiam graeca in oratione conterruit; uti cum de iſto, tum de aliis quoque ipſemet ad Atticum Lib. II, ep. I. praedicat: *Conturbavi*, inquit, *Graecam nationem. Ita vulgo qui inſtabant, ut darem ſibi, quod ornarent, jam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt.* Scilicet uti nunc Gallis, ita tum Graecis nihil ſuis abſolutum numeris videbatur, niſi quod ſummam ab ipſis manum accepiſſet. Sed qua opera is demum ſuperior ſit factus, quasque ob cauſas eandem ſumſerit, erit nobis operae pretium cognoſcere. Declamavit, teſte Suetonio de Claris Rhetoribus cap.

I.,

ſ, *uſque ad Praeturam* graece: quam quidem anno aetatis XL. adiit. Sed totum impertit ipſemet multo dilucidius in Bruto n. 310: *Commentabar declamitans* (*ſic enim nunc loquuntur*) *ſaepe cum M. Piſone, & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie, idque faciebam multum etiam latine, ſed graece ſaepius, vel quod Graeca oratio plura ornamenta ſuppeditans conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi afferebat; vel quod a Graecis ſummis doctoribus, niſi graece dicerem, neque corrigi poſſem, neque doceri.* Hem rationem geminam, cur linguae peregrinae, jam prorſus perpolitae, ſtudium navàre expediat, tum ut ipſa indoles noſtra, ingeniumque illius ſapore imbutum easdem lautitias affectare in ſermone patrio conſueſcat, tum uti docentes Priſcos quam accuratiſſime intelligamus. Hujus porro linguae communitas, ac neceſſitudo varia cum ſit omnibus ita perſpecta gentibus, ut ad Boream maxime, Auſtrumque ejus diſciplina elegantior, culturaque floreat: non erit committendum, ut apud nos ea laus puerilibus duntaxat aliquantiſper incluſa ergaſtulis,

ceteroqui plane obſoleſcat, nullis ei propoſitis opportunitatibus, atque incitamentis; ſed alatur & dehinc ſpe, praemiisque muniorum, & ſpeciminibus publicis nominis famam merentium; quales vel inter arma Lotichiut, Bonamicus, & alii claruerunt; quando jam antegreſſa praeſtantium Litteratorum opera, ac Societatum quoque, in quibus Latina Jenenſis illa eminet, conjuncta ſtudia iis nos locupletarunt adjumentis, ut negotio altero tanto minore ſuperare Majorum ea in re facultatem illam eximiam queamus. Quae peritia, uti non eſt omnibus ſuas ad rationes neceſſaria, ita quibusdam non condonanda mediocritas; & uti paſſim multos ea ſe re jactare nec attinet, nec omnino reip. expedit; ita ſemper tamen aliquamultos in eadem prorſus excellere, plurimi in regno varios ad uſus intereſt, eamque eruditionem non vulgarem eſſe illis ad honores, & munia gradum: ne ullius nos gloriae praerogativa exteri poſt ſe relinquant, occupent, oculatiores fiant, aut ſit aliquando id quaerendum peregre, quod naſci, ali, exhiberique in patria potuiſſet. At-

qui exercitione maxime, eaque multa, ut dixi, hujus linguae facultas paratur, & num eam conſecutus ſis, comperitur. Quodſi ita habet, jam vero, ut unde digreſſus ſum, redeam, cum argumenti iſthinc ducti ibi ſit ſedes: non arbitror, ad hanc rem utramque Collectione iſta Poëtarum Catulliano ſtylo praeſtantium quidquam aetati noſtrae tempeſtivius edi potuiſſe: neque enim alia in exercitatione ulla ingenium ad copiam, ad varietatem, ad delectum ita luxuria locupletatur, faſtidio politur, cura, & arte acuitur, uti in re poëtica generatim, ubi & voluptas, jucunditasque ſic adjuvat, ut opera nec ſentiatur, & ſpeciatim in hocce recentiſſimo genere elegiaco Catulliano, quod etiamſi jam antehac excultum etiam ab recentioris poſt litteras renatas aevi Viris clarioribus quibusdam, ſed, ſi Ovidiana cum cohorte rem contendas, tum quidem ſane quam paucis, & in obſcuro relictis ipſimet monſtremus; tamen ad hanc maturitatem, quam videmus, ac faſtigium laudis non niſi hodie demum eſſe perductum, noſtrisque adeo temporibus reſervatum, nemo

eſt, diffiteri qui poſſit. Experietur, qui periculum de ſe facere iſthac in lucubratione inſtituerit, quanto alios illa lacertos, quam ubertatem, quamque linguae poteſtatem illa poſtulet, quantumvis jam hujus penes ſe eſſe poſſeſſionem autumarit, atque etiam Ovidianis modulis non incommode antea luſerit. Idem tamen jam hiſce perlectis inſignium Poëtarum paradigmatis haud gravate, credo, fatebitur, uti Ciceronis Catone ſaepius lecto Caeſar ajebat, *ſe copioſiorem factum* (ad Attic. l. 13., ep. 44.) ita & ſibi ingenium caluiſſe, ac deinceps abundaſſe ſenſim magis, & magis ad genuinos venae poëticae curſus; non ad fortuitos, micantes, & interſiſtentes ſaltus; cum inter initia paene e pumice aquam ſibi videretur exprimere. Quod idem & Githiutus Valligena, vero nomine Benedictus Zumtobelius, in ſuis litteris V Calend. Novemb. CIƆ IƆCC LXXI. Euſtadio datis conteſtatus eſt: quamquam rem iſtam non hercle difficultate, ſed dexteritate potius inde poſtmodum oboritura penſemus. Sic Ille: „Res haec multo plus, ac quidam parum ex-

„ perientes autumant, habet difficultatis. Prae-
„ legi non nemini elegiam ex iis tribus unam,
„ quas ex Zamagna deſcripſi ; integrum enim
„ ejus librum inſpiciendi necdum mihi copia
„ eſt ab eo facta, qui primis diebus in promit-
„ tendo tam facilis, nunc vel in inviſendo tam
„ parcus, ut etiam admonendi occaſionem con-
„ ſulto videatur ſubterfugere : praelegi, in-
„ quam , rei novitatem non parum admi-
„ ranti. Rogatus , num placuerit , verita-
„ tis viribus compulſus repoſuit , ab Ovidia-
„ no id quidem canone multum recedere ; haud
„ tamen diſplicere : putare ſe autem Lyrico-
„ rum in ſtylo hanc licentiam periodos lon-
„ giuſcule ducendi potius concedendam , ac in
„ elegiis , quarum humile illud , minimeque
„ affectatum genus ſit proprium. Deinde videri
„ ſibi , longe facilius id eſſe, quam ſingulis di-
„ ſtichis integram ſententiam circumſcribere.
„ Quod , ſi etiam verum concederem : Quid
„ deinde ? --- Num ideo Ovidius anteſtaret Ca-
„ tullo ? Num ſolus labor rei addit pretium ?
„ Ergo verſus Leoninos amplectantur, certe '

„ in prolixiore praeſertim materia, omnium dif-
„ ficillimos. At experiantur modo iſti: ſen-
„ tient, rem, niſi elumbes ſe dare velint,
„ adeo facilem non eſſe, ut levi brachio, inge-
„ nio mediocri, linguae facultate exigua queat
„ perfici „. Ridiculum profecto, & inſulſum difficiles nugas anteponere difficili arti; cum etiam homini ſano ploſtellis, grallisve, aut omnino religioſa quadam ſuperſtitione ingredi ſit perinde difficile; ac morbido, & imbecillo athletice valere. Experire! Nae tu ſenſim demum nervos conſuefacies, ac multa die confirmabis! Neque tamen noſtris etiam popularibus alienam hanc eſſe Muſam, Clariſſimus nunc Bibliothecae Caeſ. Reg. Cuſtos, M. Denis, in Elegia de Pii VI. P. M. Viennam digreſſione oſtendit; quam tum olim procul abhinc lectam, ſperamus recuperata Auctoris voluntate, aut venia hac in Collectione nos repoſituros. Sed quo ſunt etiamnum pauciores, qui hiſce in otiolis nomen profiteri curabant, tanto res a faſtidio longius aberit, ſi plures deinceps huic ſe vado committent. Equidem quod de Poëſeos

univerſae in Remp. meritis, cum eaque neceſ-ſitudine Vir Clar. Chriſtoph. Regelsbergerus ſub an. CIↃ IↃCC LXVIII. carmine prorſus Tibulliano praeclare cecinit: cum ſint univerſim firmiora, quam convelli ut queant: tamen rurſum belliſſima declinatione longe ab hac latini carminis diſciplina amolieris, ſi patrio ſermone ea nos Poëſeos aſſequi commoda contendas cuncta poſſe. Potin' vero, ut artes ceteras quoque, quibus Poëtica utitur, earumque receſſus hac ſola Lingua recludas, pervageris, noſtrasmet in divitias convertas? Potin', ut exercitationis illum fructum, quem haec ardua paritura eſſet opera, conſequare? Potin' eam, quam ſupra dicebamus, linguae veteris ſperare peritiam? Si tamen in eadem enitere, aut praeſtare aliis tua intereſt; nam id non ad quosvis pertinere jam dedimus. Etiamne vero aliquamultos pigeat talem quærere laureolam, omnemve uſum veterem concidere apud nos patiemur; quando vel ipſemet hodiernus Imperator Sinenſis *Kien-long*, Hiſtoriae, Philoſophiae, atque Antiquitatum amantiſſimus, idemque Poëta

ſua in lingua nobili carmine gemino inclytus, & litteraturae in omni imperio longe peritiſſimus, dignum tamen Majeſtate ſua, neque tot regnorum indignum curis duxit, ut etiam latinis in verſibus ſcribendis ſeſe plurimum exercitaret? Quid quidem talem latere Principem uſquam gentium; quid is non olfacere per ſe ipſe poſſit? Quis iſtud vero in gente tam longe disjuncta, tam ab noſtris remota praeſidiis, tam linguae ipſius ingenio, morumque indole a nobis diſcrepante vel credere adeo ſuſtineret, niſi id Vir omnino veri curioſiſſimus, Jac. Biörnſtählus in Litteris ad Reg. Biblioth. Praefectum Giörnwellum (Volum. I. Roſtockii, & Lipſiae CIↃ IↃCCLXXVII. pag. 57. ſeqq.) impertiret? Neque perpoliunt modo iſta reliquas litteras, belliſſimeque decent, ſed & ſaepe opportuniſſime nos levant, ac moroſiora fallunt tempora, cum nos reliqua velut nauſeabundos fugiunt: quodque de iſtis Litterulis dixit Cicero pro Archia Poëta 16, c. 7.: *Pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur*: hoc & Viri graves, magnisque in Reip. muniis verſati, &

curis ſeverioribus exerciti perjucundo in ceſſatione ſibi eſſe ſolamini repererunt. Non poteram non vehementer mirari, cum Hujates inter Conſilii Regii olim Aſſeſſores ſummi apud Auguſtiſſimam *M. Thereſiam* meriti Virum Ill. Miggintum, Danum, morbo ad leti confinia deductum, accepi eodem ipſo tempore, quo ſenſim recreare ſe e valetudine caeperat, jamque aetatem in excelſo tum agebat, revocatis, quae ab annis XL, & amplius non attigerat, latinis carminibus & ſolitudinem ſibi depuliſſe, & juxta cum animi levaminibus corporis vires confirmaſſe; ubi Ipſemet hoc paene paradoxon ſibi uſuvenire mirabatur in Elegia Carmini, quod *Cygni Cantum* inſcripſit, addita v. 15. ſeqq.

Hei mihi! prae ſenio non aptus adeſſe ſenatu
Aggredior munus, quod juvenile foret.
Morbidus inſuetas tandem convertor in artes
Et rigidam pulſant torpida membra lyram.

Idemque & mihi quondam contingere memini, cum e morbo convaleſceas, neque alteri tum rei utilis ceſſatam jam diu teſtudinem reprehendi,

Nunquam illa morigerabatur promtius, nunquam jucundius, ſolutiusque reſpondebat. Itaque cum alia paſſim ludicra aliquid tamen in Rep. meriti, & maxime rariora quaeque habere videantur: ne illud quoque aſpernemur] quod aetas noſtra protulit, paene audacter cum Priſcis certatura. Ceterum poterat hæc Collectio haud paulo prodire auctior, ſi omnia huc aggregare, quae iſthoc genere unquam ſcripta ſunt, ſpecimina aut animus, aut conſilium fuiſſet. Sed non arbitrabar ſatis dignum noſtris moribus, ſive Collectiones illas veteres Poëtarum, de quibus Jano Gruthero, Johanni Matthæo, aliisque grates debemus; ſive Poëtas alios, quorum jam ſingillatim exſtant opera, ab ipſismet edita, accuratiusve poſt obitum collecta ab aliis, iſthic exſcribere; cum id compilationi ſimile videretur. Itaque multa Heinſii, Flamminii, Brœckhuyſii, Johannis Secundi, cet. carmina iſthic praetermiſimus, ea tantum conſectari, quae legentibus non facile alias ſuppeditatura conjectabamus. Nec dubium, quin & hocce in propoſito multa nos alibi vulgata

ſugerint : quae, ubiquis eam publicae rei perhibere benignitatem voluerit, uti ad me indicio transſcribat, aut exemplari miſſo communicet, locupletari iſta Sylloge etiam tertia quadam parte tum queat ; nam adhuc non niſi duae in mundo mihi ſunt : neque enim quaslibet in hunc cenſum recipere pro Catullianis libuit, Boſcovickianam illam nobilem de *Patriae Deſiderio*, quia Propertianam potius, iſthuc non aſcivi. In aliis ipſa materies parum hodierna delectare videbatur ingenia, vel offendere potius. Igitur & illa praeterii, quanquam Auctorum ceteroqui arte omni perpolita, elegiasque compluſculas animo non libente miſſas feci. Venerunt mihi qua Cunichii, qua Zamagnae, qua & Nicolai editiones carminum variae in manus; nulladum omnium, quae integram exhiberet conquiſitionem ; ſed ferme jam iſtas duntaxat, jam alias impertiretur elegias. Vidi illam, fortaſſis inter primas, quae prodierat Typis Franciſci Komarek an. CIↃ IↃCC LXIIII, ac praeter Zamagnae duos libros *Echus* etiam Cunichii e Graeco verſiones Idylliorum, Ele-

giarum, & Epigrammatum continebat: poſterior alia Pauli Giunchii ibidem anno CIↃ IↃCC LXVIII Zamagnæ *Navim* proferebat *aëream*, cum *Monobiblo*, aliisque elegiis, quae rurſum alibi deſiderantur, nec Editori Auguſtano, qui *Cunichii, Zamagnae*, & *Mazolarii Romanorum* (lege *Raguſanorum*) *elegias* cum mea Diſſertatione, & Somnio de Jano Montigena ann. CIↃ IↃCC LXXVI. excudi curaverat, praeſto tum fuerunt. Rurſum igitur alio exemplari; nec illo tam locupleti, quale alterum erat, quod mihi aliquando poſtea inter manus fuerat, omnes illas complexum elegias Cunichianas, quas item Juventutis Polonae commodo Criſaurus Philomuſus editione ſupra memorata in lucem dedit, praetermiſſo, tamen Zamagna, atque aliis Cunichii quoque elegiis. Pleniorem igitur iſthac, quamvis in delectu ſatis moroſus fui, nondum reor exiiſſe Elegiarum Catullianarum Collectionem, cui acceſſiones ab iisdem Scriptoribus, aliisve interea factae facile alio tempore ſubtexi poterunt. Nec vero aut dignitatis, aut temporis in edendi ordine rationem habere po-

tui, ſed ferme ad id ſolum erat reſpiciendum, quasnam apparatus hic praeſens afferret ipſe proportiones. Atque ita ſuomet copulata nexu hic quoque conjunxi, primum Diatribas geminas cum Elegiis Auctorum, quaeque cum eisdem cohaerent. Tum vero Parentem hujuſce hodiernae elegantiae Catullianae Cunichium mox continuavi: quo Pars prior jam abſolvetur. Parti alteri Simonis Simonidae, & Natalis Roncinini reſervavimus in paucis rara carmina, quia & iſtis praefationes, ac memorias in anteceſſum quasdam praemittere oportuit, quas rectius in novi libelli ingreſſum, quam in mediam ſeriem convenire omnes intelligunt. De reliquo ordinem ſequi temporis iſthac in Parte jam facilius licuit: quo deinceps praeſtantiſſimi Poëtae quique ſeſe excipiunt. Idylliorum ex Graeco verſiones hic adjungere non eſt viſum, tum quia Mantiſſam, ſatis recentioribus in eo genere artefactis apparatam, non oportebat nimium excreſcere, tum quia Germanis noſtris jam in editione Auguſtana Mauracheri ſuppetunt, quam aliquid ſibi proprium habere,

quod vendibilem reddat, tam facile patior, ut ſtudioſe potius ei rei cautum voluerim. Hanc conſilii iſta in Editione noſtri rationem, Benigne Lector, aut boni, ſi videtur, conſule; aut, ſi ſecus ipſe arbitrabere, bonae tamen mentis excuſationem admitte.

PRAEFATIO EDITIONIS AVGVSTANAE.

Editor Lectori.

Aegre admodum extorta eſt; haec de Stilo elegiaco commentatio κριτικωτατη, quamvis jam ante annos abhinc duodecim Ingolſtadii ſcripta, atque amicorum interea plurium per manus verſata, lucem publicam diu vitare videbatur non poſſe. Negabat vero Auctor Exieſuita nunc Oeniponte Profeſſor Caeſ. Reg. ut jam foras daretur, ſe poſſe committere, quod non nulla hauddum eo ordine, itaque dilucide, ut vellet, in chartas conjecta eſſent, quae tamen emendare nunc temporis rationes haud eum paterentur. Sed cum carere haec Editio, qua generis elegiaci

nova quaedam, & peregrina his in locis forma tanquam ſpectaculo datur, hujusmodi commentario non poſſet, niſi praeſidio deſtituta incurrere ſtatim in praejudicia vellet: cumque praeterea lucubrationem a pluribus jam deſcriptam ſupprimere Auctor Clariſſimus mihique Aeſtumatiſſimus diutius vix poſſet, cedendum denique armatis precibus fuit, erudiſſimaque diſſertatio e privatis carceribus evaſit in publicum: ex qua jam Lector Benev. perſpicies, quam belle praeſtantiora ingenia quanquam disjunctiſſimis in terris Italiae aeque, ac Germaniae, eodemque paene tempore concinant. Addita eſt enim eam in rem etiam Viri Clariſſimi Elegia quaedam olim ante annos amplius quatuordecim hoc ſtili genere facta: cujus hac in cauſſa tanto pluris eſſe debet auctoritas, quod idem Naſoniano in genere jam dudum in primis floruit, & nulli eorum, qui principes ejus carminis habentur, ſecundus emunctae naris exiſtimatoribus eſt viſus.

EPI-

EPISTOLA VIRI CLAR.

CLEMENTINI VANETTII

AD

VIRVM CLAR. IOHANNEM BAPT.

GRASERIVM.

Nae tu, mi Graſeri, bellum munuſculum ad me miſiſti, de quo plurimum te amo. Ac ſciebam quidem, Michaelerium iſtum. doctum eſſe hominem; ingenio atque elegantia uſque adeo excellere neſciebam. Itaque narro tibi: quum ejus libellum de Ovidio & Catullo bene mane deambulans legerem (dimiſi enim jam Medicos) identidem non poteram admirari ſatis; non quin plura irrepſerint, quae tranſalpinum hominem oſtendant (nemo enim gentis ſuae indolem plane diſſimulavèrit) ſed tamen eo

acumine, eaque orationis ſubtilitate ſcripta ſunt pleraque, ut nihil unquam viderim melius, quod quidem ab iſtis partibus profectum eſſet. Nam praeterquam quod rem ipſam & dilucide explicat, & perite; habet etiam profecto, in quibus cum his noſtris non dubitem comparare. Quod ſi quaeris, de quaeſtione ipſa quid ſentiam; ego vero non poſſum, quin iſti aſſentiar, qui quidem illud veriſſime poſuit, Ovidium vel maxime pueris placere, quippe qui ingenii copia, & quaſi luxurie capi ſoleant; viris autem acri judicio praeditis non raro ineptiorem, ac moleſtiorem videri. Quod ipſum in me ſum expertus; nec enim te latet, quantum olim hunc Poetam, praeſertim in Elegis, amaverim; ante ſcilicet quam Catullo, ceteriſque operam darem; quibus demum perlectis, nimia illa facilitas, immodicaeque divitiae ſatietatem parere coeperunt, quod in ſuaviſſimis cibis Tullius fieri ſolere dicit. Laudo igitur Michaelerium, quod & in Ovidio quae alii probant, vitio potius, quam laudi danda eſſe demonſtrat; & in Catullo plures virtutes patefaciat, quae vulgo

aut ignorantur, aut etiam tanquam vitia, ſtultiſſime reprehenduntur. Nam quod libello ſane optimo quaedam Cunichii, & Zamagnae carmina adjungenda cenſuit, nihil opportunius fieri arbitror potuiſſe. Subjecit enim Catullianae imitationis pulcherrima exempla, quae ejus opinionem magis ac magis confirmarent. . . .
Vale. IV. Non. Jul. CIƆIƆCCLXXIX.

Digitized by Google

DE VERA
CARMINIS ELEGIACI NATVRA,
ET
OPTIMA CONSTITVTIONE
CHRISAVRI PHILOMVSI DISSERTATIO.

Saepe numero, fateor, me admiratio inceſſit, quam ob rem, cum tot eruditione praeſtantes Viri de Arte Metrica ſcripſerint, nullus exſtiterit, qui de vera Carminis Elegiaci natura, & optima conſtitutione ex profeſſo conſiderandum putaret. Quae ſit cauſa huius ſilentii, nihil intereſt, indagare. Viſum autem eſt mihi in re obſcura certe, necdum, quod ſciam, ſatis explanata tentare, quid lucis, atque utilitatis Elegiaci Carminis ſtudioſis cultoribus adferre poſſim. Scio me multorum invidiam, & reprehenſionem incurſurum. Allaturus enim eam

ſum materiam, de qua pleraque ſtatuam, atque affirmabo contra vulgarem, & in omnium fere animis receptam opinionem. Dicam contra eos, a quibus diſſentire nefarium a vulgo judicatur; dicam porro ea, quae frivola quibusdam, nova fere omnibus videbuntur, praecipue Magiſtellis illis, qui ſeipſos conſuetudinis ſervos, & mancipia facere non erubeſcunt, & extremo proſequuntur odio, ſi quis eorum opiniones, atque errores detegere, confutare, ſeque melioris auctorem ſententiae audeat profiteri. Quorum quidem obtrectationes tanti ego non facio, ut propterea ab honeſto propoſito, cujus mihi cauſae laudabiles, reſiliam. Jurent illi quantum libet in aliorum verba, & ſervum pecus audiant. Ego certe in his ſtudiis conſuetudinem pro famula, & pediſſequa habebo ſemper, rationem pro duce. Sed jam ad ipſum negotii caput veniamus, atque diſceptationem ordiamur, quam non ſtudio novitatis, non ingenii oſtentatione, atque arrogantia inductum, ſed puro puto Poeſeos amore, atque juvandi litteras conſilio me inſtituiſſe, palam,

ingenueque profiteor. Jam inde a prima pueritia Poeſis latinae ſtudio mirtfice ſum delectatus.

Et me Parnaſſi deſerta per ardua montis
Dulcis amor rapuit.

Habui Mediolani apud Barnabitas, Lugduni apud Ieſuitas, praeceptores non incommodos, Pariſiis etiam, atque in urbe urbium Principe, Viros doctrinae laude praeſtantes, qui me ad id ſtudii excitarent, atque impellerent; ſecutus eorum conſilium, in eo minime oſcitanter me exercui. Aetate ſenſim adoleſcente coepi poetarum ſcripta diligentius introſpicere, in quibus lectitandis ſaepe occurrerunt, quae me dubium, & fluctuantem in varias difficultates abriperent, e quibus nec ipſe poteram me explicare, nec aliorum conſilium tale ſemper inveni, quale quidem optabam.

Inter cetera, quae longum foret enúmerare, hoc, de quo nunc agere decrevi, non eſt poſtremum. Videbam Ovidium cenſeri vulgo Principem Elegiographorum, & quem imitari omnes conveniret. Atque ita ego tunc quoque

judicabam. Legenti mihi tamen poſtea, & conſideratius expendenti reliquor Elegiographos, videbatur Ovidius de priori ſuavitate & dulcedine remiſiſſe. Faciebat hoc numerorum ratio, in qua nimis anxius eſt, & curioſus. Adſtringit ſiquidem illam ſolus omnium, & absque aliorum exemplo, ad biſyllabas voces. Qua de cauſa coepi dubitare, ſolusne Ovidius eſſet imitandus, ac tandem eo dubitatione mea proceſſi, ut ab Ovidio, cetera quidem cuncta, nihil vero minus, quam rationem numerorum, quibus utitur, expetendam, pendendamque mecum decernerem. Quae mea opinio adeo alte animo inſidet, vt nullis argumentis jam nunc expelli poſſit. Tu, quisquis es, ad vnum Ovidium imitandum juventutem qui inflammas, ſi potes, reſponde, ac me doce. Eſtne ullum aliud genus carminum, quod ad certas ſyllabas ita ſit alligatum, ac Promethei inſtar in Caucaſea quaſi rupe devinctum? Suntne, inquam, vllae aliae ſyllabae ad alios verſus, tanquam ad triremes, hoc modo damnatae? Taces vero jam? & quid reponas, in promptu non

habes? Unum da mihi exemplum, in quo peculiares Syllabas, ad peculiare & unum carmen alligarint Poetae, daboque manus victas, habeboque pro documento gratiam. Id certe apud Poetas latinos veteres non invenies; ſed neque apud Graecos. Excute Theognidis, Callimachi, Simonidis, Solonis, Mimnermi monumenta Elegiaca, videbis nihil omnino quemquam tibi ad tua biſyllaba vocabula tuenda conferre.

Nulli enim omnium minus Graecis de Syllabarum numero anxii fuerunt, imo plerique eorum de induſtria numerum neglexiſſe cuipiam videri poſſint. Atqui ſi hoc fecerunt Graeci, non video, cur Latini debeant eſſe ſeveriores, eo magis, quod Latina Poeſis e Græcia in Latium perducta fuit, quodque omnia Romani a Græcis ſunt mutuati. Quia vero ne hic quidem perfugium habent noſtri biſyllaborum defenſores, quid cauſæ porro eſt, cur eos ſtatim non damnemus, & cum biſyllabis ſuis, non in maledictam Narniam, ſed in ultimam usque Siberiam deportari jubeamus; aut ſi id nimis inhumanum

ſit, ejiciamus ſaltem ex imperio, quod in Elegiaco carmine per ſummum nefas uſurparunt; ut nimirum & ipſi ſupercilium poſthac demittant, & biſyllaba ipſorum *Proletariorum* vicem ſuſtineant. Ne tamen & hoc duriuſculum forte reputetur, tantae dignitatis voces tam ſubito ex imperii culmine ad imum locum deturbari, & inter plebem, ſervosque cenſeri, dabimus illis honeſtiorem inter Civitatenſes, ut ajunt, locum, ac fortaſſis, ſi modeſte ſe gerant, ad Equeſtrem dignitatem iterum evehemus: duplici tamen hac addita cautione, ne ad imperium adſpirent, aut ſenatoriam dignitatem unquam gerant; metuendum namque, ne amiſſum regnum per vim rurſus ſint aliquando occupaturae: quo pejus nihil, ac periculoſius foret. Jam comminiſcantur aliquid, ſi poſſunt, ut ſuam, ſuorumque biſyllaborum dignitatem jam jam caſuram ne penitus amittant. Quid aitis? jamne conſilia initis inter vos?

Quid ſibi vult rigor in vultu, quidve illa ſeveris
Frons caperata minis? (*)

(*) Buchananus.

Digitized by Google

Quidque oculi in humum dejecti portendunt; Non fruſtra erit, quod tamdiu meditantur, quodque interſe diurna, nocturnaque ineunt conſilia. Expromènt aliquid minime vulgare, & quod haud facile refutetur. Sed,

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Sono, inquiunt, Ovidiana auctoritate, conſuetudine noſtri temporis, & Magiſtrorum noſtrorum biſyllaba noſtra defendimus. Nam ſonus quidem illorum longe ſuavior triſyllabis &c. mollius quoque finem Pentametri claudit. Ovidius deinde Poeta divinus, cujus auctoritatem flocci facere crimen ſit, nullis februalium ſacris expiandum, biſyllaba illa fere ſemper, triſyllaba & alia vix quinquies in omnibus ſuis operibus admiſit. Tantam denique vim habet conſuetudo a doctis recepta, longique temporis judicio comprobata, ut, qui ab ea diſcedat, non homo ſit, ſed quadrupes. O tu animal bipes, & implume, qui ſic ratiocinaris! Quid jam vero Bambalionibus, Lucumonibus, Gerronibus iſtis reſpondeam? quibus verbis eorum inſolentiam retundam? Summe Jupiter! quod, quan-

taque ſunt, quibus triceps hoc, & puerile rationum commentum, veluti ventus folia diſſlare poſſim, atque diſſipare!

Ac de ſono quidem inferius agam, quemadmodum &, quanta Ovidii auctoritas eſſe debeat; quid praeſtiterit Ovidius, quantumque ſit illi tribuendum, poſtea rectiſſime oſtendam. De conſuetudine autem, de qua mihi infra non erit amplius ſermo, pauca diſſeram. Conſuetudinem habere vim maximam in vita civili, fateor, in ſtudiis litterarum pernego, neque unquam tantum habere virium in foro litterario conſuetudinem putabo, ut eam relicta veritate, ac ratione ipſa, me oporteat ſequi. An ſi prava conſuetudine auctores decepti in errorem lapſi ſunt, quem poſtea multi approbaverint, in eundem nos etiam praecipites ibimus? Si a regia via in tramites diſtortos prior quiſquam decedat, eumque a tergo inſequatur multitudo, an ſubſequar ego? abſit. Rationem ſcilicet homini Deus inſevit, eamque veluti cynoſuram eſſe voluit. At vero blandius, inquiunt, nobiſcum age, qui non plane quidem rationem

ſpernimus, ſed praeſtantium virorum judicia non poſſumus non facere maximi. Conſuetudinem nos ſequimur, ſed quam Ovidius, quantus Poeta! totque alii excellentes viri, non Poloni ſolum, ſed Itali, Galli, Germani, Hiſpani, Belgae, Angli, Batavi, ſua auctoritate etiam ita corroborarunt, ut dubitare de recto biſyllaborum uſu nefas prope ſit. Itane vero eodem furtim relabimini? Siccine quod omnino facitis, facere tamen non concupitis videri? Reſpondeo, non eſſe in ſtudiis litterarum auctoritate pugnandum, quam ratio poteſt expugnare. Quid? ſi vel mille ita judicent, ratio monſtret aliud: an mei transfuga ad illorum me ſententiam, contra animi mei ſententiam applicabo? Nequaquam vero. Brebovio (*) ſublimioris Poetae ſpiritûs, qui magnum nomen Gallica Lucani interpretatione adeptus eſt, deſpectus ſordebat Virgilius, eique ac ceteris quoque omnibus antiquis Poetis Lucanum anteferebat. Eodem delirio ſcimus laboraſſe Petrum Cornelium, Tragicorum Gallorum Principem. Sic quoque Fran-

(*) Brebaeuf.

ciſcum Malherbam, nulli Lyricorum gentis Gallicae ſecundum, accepimus, ad Statii clangorem & crepitacula inſaniſſe. Adeo verum eſt, quod ſaepe alias expertus ſum, *rariores eſſe ſanos bonorum Poematum aeſtimatores, & judices, quam probos eorundem artifices.* Quod ſi hac in re illi, contra quos dico, rationem adhibuerint, non modo non tuebuntur amplius, niſi ſint deſperatae pertinaciae, priorem de vocabulis opinionem, ſed ultro etiam ab auctoritate, qua prius nihil antea habebant, ad meliorem ſententiam, noſtraſque partes confugient. Id ut recte faciam, multis rationibus tentabo, ſimulque nec nos etiam auctoritate, cui tantum illi tribuunt, in univerſum deſtitui, imo longe majori, praeſtantiorique inſtructos eſſe demonſtrabo. Quare, ut ordine rem totam exequar, primum forte a me quaeritur, quis fuerit primus Elegiae inventor. Reſpondebit pro me Horatius in arte Poetica. Verſus ſunt in omnium ore, & memoria.

Quis tamen exiguos Elegos emiſerit auctor,
Grammatici certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Grammatici, inquam, multi multa pro more ſuo blateraverunt. Ego hanc litem ſub judice

relinquo. Si quis curioſus es, ito ad aeſtuantes colluvione verborum Grammaticos. Nec minor eſt de Etymologia, apud Eosdem, primaque hujuſce carminis materia, quam de origine opinionum diverſitas. Ego ſententiam Horatii non poſſum non certam arbitrari & retinere. Ad teſtimonium dicendum voco ejusdom verſus,

Verſibus impariter junctis querimonia primum
Poſt etiam incluſa eſt voti ſententia compor.

quibus aperte ſignificat, materiam Elegorum fuiſſe initio querelas, amantium ad fores amicarum, diffuſa deinde ſignificatione ad eos, qui voti compotes eſſent facti. Haec ſententia fuit magni illius Caeſaris Scaligeri, addiditque pulcherrimam facti illius rationem. Nam, inquit, & frequens *conqueſtio eſt in amoribus, & veriſſima mors, quae nobis amantiſſimis amentiſſimo, atque ingratiſſimo ſexui vivitur.* Verba haec ſunt, an fulmina, an tonitrua? inſignem ſententiam! & plane cum hoc Poetae cujusdam Epigrammatio convenientem:

Nit amor eſt aliud, ſi neſcis, quam ſine vita
Vivere; nil aliud, quam ſine morte mori.

De infelicitate amantum, ſeu potius amentum, ſicolim ſcripſiſſe me memini.

Ah miſer inſano qui ſe committit amori,
Incidit inqne tuos, ſaeve puer, laqueos!
Sordidus & vitiis, & probris undique opertus
Inde ſui labem contrahit ingenii:
Nec ſatis innumeras ſaevire in corpora peſtes,
Ni quoque in infandum mens ruat exitium.
Qnid mihi Caucaſeo pendere Promethea ſaxo,
Faecunda & poenis viſcera commemoras?
Et fixos manibus clavos, & fortia vincla,
Membraque perpetua torrida de glacie?
His graviora pati miſerabile vulgus amantum
Imperioſa malae ſceptra jubent Veneris.
Nulla quies animo, ceu cum fera Saga ſuſurro,
Devovitque ſuis pectora carminibus,
Impia cantatas exurit flamma medullas,
Saeviit ante pyra qualis in Herculeá:
Hinc patrii ſubeunt animis oblivia coeli,
Nec ſedet in caſto pectore Religio.
Non pietas cordi, nulla eſt reverentia legum,
Cui Venns ardentes ipſa adhibet ſtimulos.
Cunctorum inventrix ſcelerum eſt veſana libido,
Ingenii átque hominum maxima pernicies;
Non amor hic primo fuerat, ſed amaror ab aevo
Dicendus, cum ſit nil niſi amarities.

Turpis , & eſt morbi ſpecies horrenda caduci ;
  Aſpice poſt ſua furta ut jacet exanimis !
Sed tu dius amor gemino de lumine lumen,
  Fons , & origo boni alme amor omnigeni
Tu mihi divino ſenſus , Tu flamine luſtra ,
  Ure rogo igne tuo mentem animi atqué animam.
Scilicet hi poterunt felicem ducere vitam,
  Quorum caſta tuis corda calent facibus.

Sed jam audire mihi voces cujusdam videor Paedagogi conquerentis ex me , quod reverendis crinitae turbae moderatoribus illudendi gratia, & ſtudio triſyllaba importune, ac veluti proditorie intruſerim; Adhuc , inquiunt , tibi res eſt cum loricata biſyllaborum noſtrorum cohorte , atque , ut eſt in triviali proverbio: nemini licet canere ante victoriam; ſic tibi nefas tua haec triſyllaba, atque quadriſyllaba obtrudere, antequam cum biſyllaborum cataphractis phalangibus pugnam ineas , atque *egeris juſto domitas triumpho* , (*) ſed praenuatio

Gens dura , & vivida bello
debellanda eſt. Tibi eſt
Ne iraſcaris mi Magiſtelle,

Rem

(*) Horatius.

Corrigenda.

P. 15	*lin.* 7	Planti	*lege* Plauti
P. 16	*l. penult.*	Plantinae	*l.* Plautinae
P. 29	*l. penult.*	Seis	*l.* Scis
P. 60	*l.* 16	praetermiſſo, tamen	*l.* praetermiſſo tamen
P. 70	*l.* 2	mirtfice	*l.* mirifice
P. 71	*l.* 2	reliquor	*l.* reliquos
P. 84	*l.* 6	memora	*l.* nemora
P. 87	*l.* 17	fruſtra, fruſtra	*l.* fruſtra,
P. 91	*l.* 4	a triſtius	*l.* ac triſtius
P. 96	*l.* 23	protutit	*l.* protulit
P. 110	*l.* 21	Palade	*l.* Pallade
P. 119	*l.* 11	hella	*l.* bella
P. 123	*l.* 14	potis, eſt	*l.* potis eſt
P. 133	*l.* 17	abrumpo, ſtyli	*l.* abrumpo ſtyli
P. 138	*l.* 13	grenio	*l.* gremio
P. 139	*l.* 13	enſas	*l.* enſes
P. 140	*l.* 10	multua	*l.* multus
P. 161	*l.* 7	ſine alius	*l.* ſive alius
P. 163	*l* 18	ſi, profecto	*l.* ſit, profecto
P. 167	*l.* 20	inopba	*l.* inopia
P. 197	*l.* 17	Catullius	*l.* Catullus
P 199	*l.* 4	Saturnio	*l.* Saturnino
P. 218	*l. ult.*	relinquimus	*l.* relinquemus
P. 225	*l.* 16	deniqua	*l.* denique
P. 229	*l.* 8	proferendi	*l.* efferendi
P. 237	*l.* 4	reſtiterat	*l.* reſtiteras
	l. 24	quot penere	*l.* quot periere
P. 239	*l.* 23	verſantar	*l.* verſantur
	l. 25	largitaur	*l.* largiatur
P. 252	*l* 1	coet	*l.* coetu
P. 262	*l.* 23	ne fragas	*l.* ne frangas
P. 278	*l.* 4	Stajades	*l.* Staiades
	l. 22	clarum nomina	*l.* clarum nomine
P. 277	*l.* 6	eſſo	*l.* eſſe
P. 298	*l.* 25	fores	*l.* foret
P. 302	*l.* 2	unda pede	*l.* unda, pede
P. 307	*l.* 6	abigens, Divumprogenies	*l.* abigens. Divum progenies!
P. 312	*l.* 1	lato	*l.* laeto
	l. 16	Miſcentem	*l. forſan* Mulcentem
P. 320	*l.* 17	Famineo	*l.* Fulmineo

P.

Digitized by Google

P. 323	*lin.* 8	ſtat, quoniam	-	*lege*	ſtat quoniam
P 335	*l.* 5	hic multo, &	-	*l.*	hic multo, multo &
P 331	*l.* 9	decora eſt - - -	-	*l.*	decore eſt
P 334	*l.* 17	mulcere - - - -	-	*l.*	Et mulcere
P. 337	*l.* 12	in numero - - -	-	*l.*	innumero
P. 348	*l.* 25	ex qua - - - -	-	*l.*	ex quo
P. 352	*l.* 23	Mater Tireſiae	-	*l.*	mater Actaeonis

Alia, quae pro arbitrio utrovis modo ſcribi queant, quaeve ex Scriptorum propria cuique, nec tamen conſtanti orthographia ſtudioſe hic retenta ſunt, aut quae non aequaliter quibusque in exemplaribus atramenti aliquando aliove vitio exprimi contigit, aut quae denique ad creperam ſaepe lucem relegentis aciem oculorum minutiore in typi forma ſubterfugerunt, vix aliquo jam relicto ſententiae perturbandae periculo, Benevolus Lector flocci faciet.

Digitized by Google

Rem pateris modicam, & mediocri bile ferendam. (*)

Non haec tibi Ovidii mancipio, non fungis ſcripſimus, ſed quibus cor ſalit, & acre acetum eſt in pectore, quique ſciunt, quid diſtent aera lupinis. Apage a me

--- Procul, hinc procul eſto prophane.
Non mihi res tecum eſt ludi ſcelerate Magiſter, (**)
Inviſum Pueris, virginibusque caput.

Habes ecce biſyllabum, *cujus ſonus videtur* tibi ſuavior, & mollius quoque finem Pentametri claudere. *Jamque accipe in me quietum animum, atque hac galea contentus abito.* (***)

Sed jam redeo ad propoſitum, totamque Elegiaci carminis rationem breviter evolvam. Etſi igitur Elegiarum primus inventor adhuc ſit ſub judice, tamen ſi nos eum ſtatuamus, quem plerique, Theoclen Naxium, qui furens primos effudiſſe elegos narratur, putatisne illum in iſto furore carmen Ovidianum effudiſſe, quod numerorum eorundem uniformi aequalitate decurrens nil furoris, nil caloris prae ſe fert, ſed

(*) Horat. (**) Martialis. (***) Virgilius.

neſcio quem languorem (languorem dico, ſi ad furoris rationem reſpiciamus; nam alias verſus Ovidii languidos appellare mihi ſane religio ſit) propius, & penitus intuenti exhibet. Quis autem ſpiritus, qui numeri, qui ſoni in carminibus eorum, qui ſpiritus libertatem anguſtis Ovidianorum pedum includunt legibus, numeros ſuſpenſo animo velut oſtiatim emendicatos, eodem, vel nullo colore conſpicuos, exſuccos, atque ſine anima uſque ad nauſeam infarciunt, ſonos non ex rei natura, ſed aſininarum auricularum ſuarum ſtultiſſimo judicio adhibent, adhibitos admirantur, & in iis ſe palam oſtentant. Haec hercle ad enthuſiaſtici caloris impetum non quadrant, quin imo adeo meo judicio pugnant, ut nihil diſſimilius, nihil abſurdius inveniri poſſe cenſeam. Et tamen haecce optima verſificandi via habetur in Polonia a multis, verus ſcribendi carminis Elegiaci modus judicatur, profitetur, atque etiam propugnatur. Sed reſipiſce tandem, Juventus Polona, & vel ex ipſo Elegiae ortu diſce, qualem Elegiam eſſe conveniat. Quod ſi hoc frigiduli qui-

dam Magiſtelli non admittant, jube illos, ſuam numerorum aequalitatem, id eſt, ſuum languorem, ſuam maciem, ſuum ſibi habere cadaver, *tu contra audentior ito.* (*) Memini ſic olim me ſtrinxiſſe calamum in rus merum Grammatiſten.

Vana ſolaecismi quod te conturbat imago,
Non ſtupeo, cum ſis de grege Grammaticum:
Siren, Sirenis, Sireni dicier, & ſcit,
Nondum ſubducta eſt cui manus a ferula.
Graeca per Auſoniae fines ſine lege vagari,
Ignoras, inſulſiſſime, quot fuerunt,
Paedagoge? palam & vates majore loquendi
Libertate uti, & multa licere, caput
Queis vinctum lauro Parnaſſide, queisque Camoenae,
Permeſſi ſanctos ducere dant latices?
Non tibi, cui gemina Alecto comitata ſorore
De Phlegetontaea pocla tulit ſcatebra.
Tantum ergo te diligimus, Saturnius Heros
Quam Enceladum torto fulmine cum feriit,
Et merito; nam quis te noſtras, improbe, Muſas,
Contemerare tuis egit aſellitiis?

(*) Virgilius.

Et falſo carmen noſtrum inſimulare Solaeco,
Faedare & noſtras turpiter illecebras?
Phoebe Pater, Lycio late ſpectabilis arcu,
Nodoſa *Atardi* caede nates ſcutica,
Et vos Permeſſi, Divae, biſidique Heliconis,
Quae colitis fontem, laurigera & memora.
Turpantem flores, & veſtri munera montis,
Atardum furcis praecipitem ejicite,
Aſt ego te Pindi labem, Pindi te ego peſtem
Armato aeternum proſequar *Archilocho*.

Sic ego ſoleo Grammatiſtas iſtos, qui res diverſiſſimas uno quodam orationis filo contexunt, certisque quibusdam,& ejusdem generis numeris includunt. Egregium ſane coquum, qui varia jura in unam ſimul confundat ollam! Nonne idem illud illi agunt, qui res diverſiſſimas, una, eademque Ovidiana phraſi, unis, iisdemque Ovidianis pedibus illigant, ex eodem calice dulce, amarumque propinant, iisdemque coloribus triſtes, hilaresque depingunt, iisdem veſtibus & Principes, & plebem induunt? Vel me tacente res ipſa clamat, & loquuntur eorum Poemata, quae quoties legimus, plerumque non ſine ſtomacho, ſæpe etiam cum riſu legimus. Danda ergo ſedulo eſt

opera, & hoc unum aſſidue nobis ob oculos ponendum, ut ad omnem animorum motum orationis harmoniam, ipſamque formam numerorum, quibus in oratione utimur, ad intimam rei naturam omnino accomodemus. Quis autem id vel mediocriter praeſtet, niſi vocum naturam, pedumque proprietatem omnem exactiſſime didicerit? In id itaque vero Poetae eſt incumbendum, ut pro ratione argumenti, verbis, numerisque nunc aſſurgat, nunc ſubſidat, tolutim modo, nunc gradatim incedat, nunc dulce lectori, nunc amarum depromat. Poteritne Poeta varietatem, & inconſtantiam affectuum humanorum Euripo aeſtuoſiorem, uniformi verſuum tractu, aequali numerorum ſerie, pari ſyllabarum dimenſione, quaſi in pictura, ut oportet, repraeſentare?

Ut Pictura Poeſis erit.

Inquit Romanae fidicen lyrae. Profecto non poterit, ſi rei naturae parem velit orationis naturam & eſſe, & videri; poterit autem commoda tum verborum, tum ſententiarum varietate, tum grata pedum accommodatorum diſſimilitudi-

ne, numerorumque diverſorum tempeſtiva mutatione; ad quod quidem conſequendum opus erit induſtria ſingulari, vehementi ſtudio, prudenti, ſinceroque judicio. Mihi vero, quantum & a viris doctiſſimis, praecipue a Raymundo Cunich, illuſtri Poeſeos in Romano Lojolitarum athenaeo nunc Profeſſore accepi, & ipſe non mediocri ſtudio, atque aſſidua Graecorum, & Romanorum Poetarum lectione percepi, nihil ad Elegiaci carminis varietatem, & rerum diverſarum exprimendam conditionem accommodatius videtur inter alia, quam frequentes in quinta Hexametrorum ſede ſpondei, quorum natura gravis, ac lenta, nec ſolum lamentantibus apta, ſed aliis quoque affectibus conveniens. Quis fortunam in rota ſua nutantem melius nobis depingere potuit, quam qui dixit?

Fortunam rotulis inſiſtere caſabundam.

Quis non languorem videt in hoc verſu?

Nil juvat Aſſyriis in odoribus elanguere.

Quis non praecipitem cernit agitationem numerorum in hoc Catulli.

Atque illud prono praeceps agitur decurſu.

Sunt voces aliae tales, ut *exturbatus*, *conturbatus*, *externatus*, *expugnatus etc.* quae ſi commode adhibeantur, dici non poteſt, quanto Elegiam efficiant elegantiorem. Olim de Nymphis in Elegia ſic luſi.

Aſt illae gelidis ſub frondibus inclinatae
Laxatis recubant molliter uberibus,
Virgineos ſomnos e pectoribus ſpirantes.

Alibi etiam Graecorum, & Catulli more ſic clauſi Hexametra mea.

At me pallida mors magis atque magis languentem,
Ebriaque ignotis mens vulneribus languefcens.
At circum faciles Nymphae choreas ducebant.
Ergo omnes fontes, nemora omnia circumcurſo.
Cunctaque dum luſtro, dumque omnia circumſpecto.
Cui circum malas flos aureus emergebat.
Luctantem fruſtra, fruſtra puerilia protendentem
Undique cum multis brachia lacrymulis.
Undaque vicinis e littoribus procurrens.
Mox ſi illam Boreas radicitus exſtirpavit.
At tenerum ſomno leviter caput inclinaret.
Euridice clamabat, at Euridice clamanti.
In tauro haerebat, in tauro ſuſpirabat.
Omnia nequicquum plangoribus incendebat.

O Nereu Pater, o & caerulea Amphitrite.
Hic illam gelidas auras fluvii captantem.
Nos doctis Sophiae complexibus immorientes.
Impia mors, quam me crudeliter externaſti!
Turbatos alii fluctus maris, & ſalientis
Neptuni ſtrepitus & Thetyos undoſai
Fluctifragis ſpectent de verticibus ſcopulorum.
Qua Zephyri invitat vis languida ſuſpirantis.
Qua riguo fons argenteus e nemore
Molli lapſus rore levem ſomnum ſuadebat,
Aedibus ex altis, vel culminibus deſertis,
Et lauri fragiles, & quae ſuperimpendentes
Solis oberrantes excipitis radios.
Cunctaque turbantes gemitu, Pater, ac languentes.
At nobis ſuperant triſtes lacrymae, & ſingultus.
Mentem ſollicitam lento ſopor interventu
Paulatim dubiis fallit imaginibus.

Iſthaec exempla congerere utile judico, cum videam agreſti, & barbaro quosdam ſupercilio ex Elegorum cenſu ſpondeos omnino rejeciſſe. Quo eodem ſupercilio Varſaviae ſunt non nulli, qui caeſuram brevem nunquam ingredi legem verſuum Elegiacorum permittunt. Legant divinum Scaligerum Patrem, & diſcent, omnem caeſu-

ram indifferentem eſſe. *Siſtitur enim*, inquit, *in ea dimenſio*, *&* *in Saltationibus ad caeſuras pede terram veteres feriebant.* Accedit omnium Poetarum auctoritas, qui conſulto Grammaticorum edicta transgreſſi varietatis, & nitoris cauſa, ſaepe numero caeſuram acquiſiverunt. Obvia ſunt exempla, & illud Catulli e plurimis:

Perſpecta exigitur unica amicitia.

Illud Propertii

Aut pudor ingenuus, aut retinendus amor.

Hoc Tibulli e multis,

Quidquid agit, ſanguis eſt tamen illa meus.

Horatius quoque admiſit in alio verſuum genere. Quapropter ab hac licentia abſtinere non debemus, ſecuri de inſulſis Grammatiſtarum judiciis, de quibus hanc olim contexui fabulam.

Dum veteres nuper repetens de more querelas
Gutture cantum edit Daulias artifici,
Olli auſus ſtrepera Cuculus contendere voce,
Obſcuro ſtolidum gutture *Cucu* ſonat.
Nec mora: diverſae fervent certamina linguae;
Nec litem judex ullus adeſt dirimens.

Forte Aſinum Cuculus cernens, hic judicet, inquit,
Longa utrinque ſatis cui patet auricula.
Ille probans aliqnid ſecum commune ſonantem,
Judicat eſſe melos nobilius Cuculi.
Hinc Cuculis cordi eſt ſua tantum Muſica, nulla hinc
Luſcinia eſt, tardi cui faveant aſini.

Sic nec illa Pentametri eſt reſpuenda forma, quae caeſuram in medio tranſilit, ita ut praeciſio non in ultimam cadat Syllabam, ſed verſus ipſe perpetuo tractu ducatur, atque continuetur. Cujus rei quidem in Graecis multa exempla videre eſt. Apud Latinos multa quoque extant. In Propertio ſuccurrit unum. Lib. III.

Geryones ſtabula, & luctantum in pulvere ſigna,
Herculis, Antaeique, Heſperidumque cohors.

Catullus frequentiſſime uſus eſt; e quo unum & alterum proferam.

Quem modo, qui me unum, atque unicum amicum habuit.
Troia Virum, & virtutum omnium acerba cinis.

Quibus verſibus nihil horridius eſſe multi ſtatuunt. Ego nihil iisdem aptius a Catullo poni potuiſſe contendo. Revocate in memoriam, quae ſupra de numeris ad res ipſas accomodan-

dis retulerim, ut res languidae languido, triſtes triſti, aſperae aſpero numerorum ſono repraeſentarentur. Jam quid illa prioris verſiculi Catulliani ſententia languidius, a triſtius? quid iſta poſterioris aſperius? querela eſt de amicp ingrato, lamentatio de lacrymoſo Trojae excidio, quibus certe exultans Ovidianorum pedum laſcivia non potuit, nec debuit adhiberi. Catullus, ſi quisquam alius, optime numerorum calluit naturam, eorumque ſonum ita rebus novit applicare, ut a doctiſſimis viris praecipue ex *mea Italia*, *artium adinventrice*, *&* *Magiſtra doctrinarum* propter artificium hoc, vero Poetae ut maxime neceſſarium, ſic maxime omnium difficile, Princeps inter elegiacos cenſeatur. Quocirca eum imitati ſunt recentiores aliquot; inter quos agmen ducit Raymundus Cunich, quem nominare laudare eſt. Videamus aliquot exempla, ut appareat, ſaecula quoque noſtra non carere omnino Poetis, qui eum Priſcis hocce artificio poſſunt comparari. Nomina Poetarum brevitatis cauſa praetereo.

† *Immemor ah animi externor, & obſtupeo.*

Nonne numeris ipſis, & eliſione caeſurae ſubitam animi Conſternationem, & ſtuporem aptiſſime expreſſit? Nonne in hoc altero:

Natalesque ambuſta hauriat e cinere:

verbum *hauriat* praecedentem vocalem haurit, & abſorbet? Et in iſto

Cum ſenio defeſſa oſſa gravi exuitur.

nonne tam lento numerorum tractu ſenii tarditas, & oneroſa moleſtia pulchre hic nobis oſtenditur? Hic etiam verſus gravitate, & lentitudine ſua mirum quiddam, & inſolens declarat.

Atque ipſi naturae aemulum Ariſtotelem.

Hinc manifeſte apparet, non rejiciendos eſſe hujuſmodi verſus, ſed ſtudio etiam captandos. Ego certe captavi, captaboque, quoties Elegos mihi ſcribere continget. En profero exempla. In Eleg. ad Caj. Valenti, Equitem Hieroſolymitanum.

Sic ubi frigidior brumae rigor impulit annum,
Frigoraque hyberna aſtricta ſtupent glacie,
Ora premunt volucres, & vepribus in perplexis
Languidulae nullis ſe ſoluunt ſtudiis.

In Eleg. ad Antonium Comitem Ciantar Meliteſem, Virum eruditiſſimum.

Etſi mi incerto titubent veſtigia greſſu,
Languida adhuc artusque officium renuant.

In Eleg. In mortem Hiacinthae Urſinae Duciſſae de Arce inter Arcades Euridices nuncupatae.

Quosque graves planctus per & aethera fudit, & aequor
Alcyone infeliciſſima pallidulum.
Conjugis, ut vidit ſpoliatum lumine corpus, &c.

In eadem.

Fata nimis fera, crudelia, & omnivola!
Quis dirus furor, aut quae vos inſana cupido
Egit noſtram aegro evellere corde animam!

In Eleg. ad Comitem Origo.

Ac niſi me aſſiduae facto ſimul agmine curae,
Mentem animi, vitamque uſque adeo opprimerent.

In eleg. ad Emanuelem Pinto SSmum Melitae Principem.

In feſto aut Nautis conſurgens impete Orion
Neptuni dorſum immane fatiget, aquis
Ut ſummis, non glaucarum Rex Nereidarum,
Tritonesque auſint exeruiſſe caput.

In Genethliacis Principis Alex. CZARTORYSKI Varſaviae a me editis.

Sive vias coeli, rerumque exquirere formas,
Naturae & juvet involvere te latebris.

In Elegia contra luem Hypochondriacam.

O vagus Upilio felix & durus arator!
Queis cerebrum & nervi robore ſtant ſolido,
Spirituumque latex fluit integer, & generoſus,
Difficiles non illi increpitant tenebras.

In eadem de capitis vertigine.

Saepe reor novus errantem Copernicus orbem,
Circumagor dum vertigine fumifera.

Denique in noſtris carminibus
Ad Caſtellanam Caminenſem Catharinam Potociam ſaeculi noſtri Heroinam:

Illius ingenium velox, mentemque capacem
Imperii, prudentem atque futuri animum,
Fatales rerum nodos ſecuiſſe peritum
Veſtigare arcana ancipitesque dolos
Sollertem,

Et paulo poſt

Non nebulam exhalat, quam coeca ſuperbia gignit,
Fortunam ſed virtutis amore domat.

Sed ſatis exemplorum hujusmodi verſuum, qui non modo Elegiam non dedecorant; ſed etiam exornant. Blaterent quidquid volunt illi, qui Catullum reprehendunt, atque hanc etiam ob cauſam duriſſimum eſſe Poetam audent vociferari. In oſorem Catulli, & *Catullientium* ſic inſurgo.

Aſſuetus lappis aſinus, lolio, tribuliſque
    Hyppocrena tuas polluere audet aquas,
Hei! quid erit puri puriſſima Numina fontis?
    Hei! quid erit veſtris Pierides numeris?
Alma novenſilium miſerere Diana ſororum,
    Aſebium nequeunt quae prohibere aſinum.
Tu Dictyuna tuas Venatrix mitte ſagittas,
    Tu ſubmitte acres, corpora fida, canes,
Verum opus eſt, magnos ut mittas Diva moloſſos.
    Longe ut tam magnum disjicias aſinum,
Vae auri Grammatiſta tuae! dabis improbe poenas,
    I nunc & puras turba Heliconis aquas.

Illud etiam, quod non minus ſevere praecipiunt Grammatici, ut quaelibet ſententiae ſingulis diſtichis abſolvantur, minus recte nobis praecipiunt: Incidunt enim non raro ſententiae latiores, quaedam anguſtis coarctari ſpatiis nequeunt,

aut ſi coarctentur, multum deperdunt gratiae & venuſtatis, quae plurium verſuum ſubſidio retineri, atque augeri poteſt. Conſule Graecos, mox Catullum & Propertium, quorum ego artificium in mea ad magnum fontem Elegia imitari ſtudebam.

Nam ſeu poſt ſolem ſuper herba ſternere corpus,
Ludentem cythara, ſive juvat vacuum
Matutina quies ad fontis amabile murmur,
Securo teneris haud loca graminibus
Commoda defuerint, nec citra, aut punica mala,
Ditia nec ramis robora Athlantiacis,
Caeſum ubi Ithyn Philomela canit ſub frondibus aureis,
Et turtur viduus voce nemus querula
Reptat, denſa comis ubi ſibila perſtrepit aura,
Et ſomnos fremitu pellicit exiguo.
Hic me tegmine ſub ſiliquae tenuis captantem
Aurae frigus opacum, arbiter Aonidum
Numine toto afflat, non jam ut cantibus auſim,
Titanas memorare, atque acies ſuperum.
Ut genus antiquum terrae, Phlegraea Caterva,
Congeſtos montes montibus impoſuit,
Vaſta mole tumens, & in aethera protutit hoſtes,
Saturni unde periclum Aula ſenis tremuit.

Alibi

Alibi ad Joach. Corognam.

- - - Nimboſis ceu tempeſtatibus acti,
Jonio in magno, vi maris undiſoni
Si fortaſſe remiſſa, appellant littora nautae,
Poſt iterum rapido credere ſe pelago
Nolint, & decurſa pericula rurſus adire,
Spes quamvis lucri affulgeat auriferi.

Alibi ad Cajum Valentium Equitem Melitenſem.

Ac veluti denſis horrens exercitus armis
Cum pugnam meditans agmen agit dubius
Spemque metumque inter, ſi circumferre tuetur
Ductorem flexu lumina laeta hilari,
Martia flammato ſpirantem praelia vultu:
Ira ſubit totos impatiens cuneos,
Conclamant pugnam nutu, ſtrepituque minaci,
Tota acie Mavors aeſtuat armipotens.

Non addam plura exempla, quibus oſtendam non ſemper uno diſticho periodicam ſententiarum continuationem debere includi, ſed ſæpe ultra binos, interdum etiam plures verſus extendi. Quodſi hoc argumentum levius eſt, quam ut hodiernos Grammatiſtas tam pervicaci duritie inflectere queat, dicam ipſis, quod olim

ſcripſi in Magiſtellum quendam nomine *Atardium.*

Phoebi medulla cur minus fatuo ſapit
Blenni palato Atardii? foenum comeſt.

Illud ſaltem conſiderent, an affectus, qui, ut ſupra dixi, in Elegiis frequentes, varii, ſolliciti, mobiles; an querelae, quae copioſae, anxiae, ſaepius interruptae ſunt; an exultatio, admiratio, indignatio, in quibus animus extra ſe quaſi raptus, in hanc partem modo, modo in illam fertur, neque fere conſiſtit; an inquam, haec omnia arctis diſtichorum vinculis conſtringi patiantur. An haec omnia aequabili ſemper orationis filo, nec uſquam recedente a diſtichorum monotonia, & vinculo poſſint comprehendi. Negabunt, ſcio, ſiqui ſapiunt, & in optimorum Poetarum libris magnam invenient exemplorum copiam, quibus noſtrorum Paedagogorum retundant pervicacem audaciam. Ego interim Magiſtellum quendam, cui me hac de cauſa diſplicuiſſe, placere eſt,

Ad coelum hoc lepido vocabo verſu.
Inſulſiſſime, quot fuere, quot ſunt,

Quotque dehinc aliis erunt in annis,
Quem rogo facies tuis cavillis
Modum? Grammaticalibus cavillis,
Non dudum tibi maximam eſſe ſentis
A grege Aonio crucem paratam?
Quam non effugere eſt, niſi unico iſto
Modo, teque, tuaque ſorte digno,
Te porco ut jubeas ſacro expiari.
Ut vites igitur crucem paratam
Tuae ſtultitiae, atque aſellitati,
Porco te jubeas cito expiari.
Aut ſi ſors placeat magis, tuoque
Statu victima dignior videri
Poſſit, auriculoſiore Aſello.
Ha! Ha! te caput inſubidum quod diximus! Ha! Ha!
Te ſtupidum, & nequam diximus, Ha! Ha! aſinum!
Paedagoge, animo diras male concipis Iras,
Ha! Ha ridendo dicere vera licet.

Accedamus porro ad ea, quae reſtant de fine Pentametri, ut diſputatio quoque noſtra ſcopum ſibi propoſitum attingat. Pentametrum non aliis, quam biſyllabis terminari ferme jam omnes, praecipue in hac veſtra Polonia magiſtros velle ſcitis; cur ita velint, ego vero neſcio, & ſuperius me cauſas ab iis flagitaſſe meminiſtis. Ad-

ſerebant meliorem biſyllaborum, quam reliquorum ſonum, Ovidii auctoritatem, & conſuetudinem, doctorum hominum calculo approbatam, longoque tempore confirmatam. Poſtremam hancce ſatis refutavimus. Priores duas nunc refutabo: quo abſoluto, abſoluta erit omnis de hoc argumento diſputatio. *Favete linguis*, ſtudioſi Juvenes, *& cubito remanete preſſo.* Ac ſonum quidem biſyllaborum eſſe aliis dicunt elegantiorem, ideoque ſolis biſyllabis finiendum. Praeclaram vero rationem! Quid? in Pentametri fine ſola mollities erit ſpectanda? At non res omnes, ad quarum naturam numeros ſemper accomodandos eſſe, ad ravim fere clamavi, non res omnes, inquam, de quibus Elegia ſcribitur, tam ſunt molles, ut iis quadrent biſyllaborum deliciae. Ergone res etiam aſperae, durae, triſtes, intricatae, ſublimes mollibus poſſunt numeris exprimi? Non jam Protheus ultra erit fabula, quem abſurdum eſt, in tot ſe formas tranſmutare poſſe. Demus hoc illis, quod minime damus. Unde autem iſta mollities, iſta elegantia? a ſono, inquit Magiſtel-

lus, biſyllaborum. Audio quidem hoc, & ſaepe audivi, ſed ego, quae mea ingenii tarditas, nondum intelligo, quomodo biſyllaba meliorem edant, quam alia, ſonum. Ridiculus es, inquit. Conſule aures, & rem totam habebis. Tu Magiſtelle me ridiculum? dabis improbe poenas.

Carmen ridiculo canamus ore
Bardum in Grammaticae Scholae Magiſtrum,
Oeſtro qui Arcadico furens Criſaurum
Vatem ridiculum auſus eſt vocare.
Jam haud Magiſter adeſt, abit, receſſit.
Ignoſco tibi, jam redi Magiſter.
Sed fruſtra voco; percitus furore
Infelix rapitur, ſonant flagella.
Dat poenas ſceleris, Megaera caedit,
Ardentesque faces in ora quaſſat.
En nudus ſine pelle jam redivit.
Sed cur auriculas habes aſelli?
Dic quo Marſyam agis, Midamque fato?
Chriſaurum fuge denuo laceſſas;
Inſaniſſe ſemel, ſatis ſuperque eſt;
Ni ſtrictam cohibent lupata linguam,
Quod reſtat corii, miſelle, perdes.

Sed jam aures meas conſulo; verum illae negant ſe tam teretes, ut biſyllaba mollius, quam polyſyllaba in Pentametro advertant ſonare. Sed ecce alius Magiſtellus provocat ad eruditiorum aurium judicia; libenter vero, & quia jam imus çonſulturi de ſono aures? Sed ne mihi judicem inter Philomelae & Cuculi cantum Aſinum ſtatuas; non Midam protenſis liberaliter auribus inſtructum volo; ſed virum eruditum, cui aures animi ſale, & açeto doctrinarum lotae, purgataeque ſint; quid plura, non illum, ut ſupra dixi,

Bardum Grammaticae Scholae Magiſtrum
Plenum ruris, & inficetiarum;
In quo cum ſalis invenire non ſit
Micam, ſe tamen usque & usque ſalſum
Nullo tempore praedicare ceſſat,
Et tanquam reliquus Catonis eſſet
Sanguis, in modulos meos frequenter
Sumſit arbitrium, elegantiasque
Sermonis Latii, negans venuſtum,
Quod non de Ovidio videt petitum,
Quod non de trivio videt petitum,
Viri haud nomine dignus, aſt aſelli.

Et quia de ſono biſyllaborum Poetico diſceptamus, Poeticas quoque aures adire, & in judicium adhibere neceſſe eſt. Interea lectores judicate, an quidquam usquam his verſiculis quos modo referam, venuſtius, mollius, ſuavius, rotundius inveniri poſſit? Scaligeri quidem hi ſunt:

Candida luteolis arrident lilia Calthis,
Luteola at violis Calthula pallidulis.

Iſti diverſorum Poetarum, quorum nomina ſtudio brevitatis omitto.

Vivere deſiſto, vivere ut incipiam.
Quaque odor e nardo, quaque odor e caſia.
Nulla tenent aures, nulla tenent oculos.

Putatisne eandem numerorum rotunditatem, & ſtupendam concinnitatem e biſyllabis confici potuiſſe? quodſi dubius quisquam veſtrum haeret, conſideret mecum iſtum verſum deſumtum a Graeco.

Vivam, ſi vivet, ſi cadat illa, cadam,

Tum ubi ſatis conſideraverit, cum hocce conferat,

Si vivit, vivo, ſi moritur, morior.

Eadem eſt utrobique ſententia; ſed numeri quantum diſcrepant! quanto plus veritatis hic, ac concinnitatis habet illo! Quare melior? Sono, inquam, triſyllabi vocabuli, quod male de ſono nunc audit, non apud doctos Profeſſores, ſed apud Magiſtellos illos,

Moleſtam ſcabiem puellulorum,
Culum caedere, verberare doctos,
Torvo lumine, voce, fronte, naſo.
Vae vobis pueri, cutique veſtrae!
O Cives, adeone caeca mens eſt
Vobis! Siccine liberos amatis,
Veſtra & viſcera, ſanguinemque veſtrum?

Qui idem ſonus an ſit etiam quadriſyllabis, dubitare nemo poterit, ſi cum biſyllabo illo verſu, hunc conferat.

Vivet, vivae eſtis: occidit, occiditis.

Equidem ſi verum fateri vultis, non tantum non meliorem, ſed ne parem quidem jam fatebimini. Ne quid tamen forte deſideretur, nonnulla adjungam exempla, ut pateat, quam contra jus biſyllaba reliquis fuerint hactenus praelata, nec

praelata tantum, ſed ſola, ceteris dejectis, obtruſa. Non poſſum, quin exclamem, miſeros verſus! qui, quidquid habent elegantiae, a biſyllabis coguntur emendicare. Miſeros Poetas! qui, quidquid habent laudis, id omne e biſyllabis conantur acquirere, rejecta ſtulte polyſyllaborum majeſtate, & gratia.

O inſulſi, fungi, buccones, atque pagani! Nunquam vos credam in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo, neque laurea unquam donandos Apollinari.

- - - (*) *Cui mens divinior, atque os*
Magna ſonaturum, do nominis hujus honorem.

Non tibi, quisquis es, Ovidii mancipio atque Simiolo, cui ſi detrahatur Ovidii perſona, quid tibi reſtat, niſi quod Aſello Aeſopico? Eum ecce tibi conſecro, Magiſtelle!

Quid mi aſine obtrudis? Tibi non ſum injurius, ipſi
Si te ipſum ſacro, dedico, pono tibi.

(*) Horatius in arte Poetica.

ASINVS PELLE LEONIS INDVTVS,
FABVLA.

Cum nemorum veniſſet Aſellus in alta, Leonis
    Exuvias caeſi repperit; induitur
Illis. Ad paſtum ſic perſonatus opimum
    Mox redit, atque ruens impete praecipiti,
Lanigeros fugat ille greges, hirtasque capellas,
    Et cerebroſa boum corpora: cernit herum;
Inque ipſum pariter ruit inflammatus. Herus ſed
    Apprenſis Aſini fortiter auriculis:
O bardum, inſulſumque animal, ſcuticaque dolandum!
    Dixit, decipias artibus his alios.
Aſt ego cum te intus pulchre norim, atque in cute dura,
    Et mihi Aſellus es, & ſemper Aſellus eris.

Sed vos, ut injuriam polyſyllabis noſtris illatam juſte vindicetis, attendite quaeſo porro, &, an vere, quod affirmabo, jam affirmem, cogitate. Multas eſſe ajo inſignes, & eximias ſententias, quae non alio numerorum, quam triſyllaborum, quadriſyllaborum, & monoſyllaborum genere exprimi poſſunt. Perpendite hoc Diſtichon.

Aut qua ſecretum illudit tremulis nemus umbris,
Lymphaque muſcoſa proſilit e latebra.

In priori verſu verborumque, numerorumque tremorem deprehenditis; in poſteriori lympham ex ipſa veluti ſcatebra proſilientem videtis, & auditis. Par & in hoc Catulliano numerorum ratio, ex quo illud a recentiore adumbratum.

Rivus muſcoſo proſilit e lapide.

Claudianus.

Magna repente ruunt: ſumma cadunt ſubito

Ruunt ſimul cum verbis, ac vi ſententiae, caduntque hic ipſi numeri. Scribe:

Magna repente ruunt: ſumma repente cadunt.

languet tota ſententia, & numeri fiunt inſipidi, ac pueriles. Conſidera & hoc.

Fractaque anhelantes vox cadit in gemitus.

numeri cum voce fracta cadunt. Similis ratio & in iſte.

Raptaque laſcivi verba ferunt Zephyri,

Nonne ibi verba cum Zephyro per numeros avolant. Et in illo:

Fallor? an omne mihi cor ſalit ad ſtrepitum?

ipſi numeri ſubſiliunt. Ex quibus patet, quae & quam apta ſit Pentametris natura triſylla-

borum. Habent etiam peculiarem energiam in interrogationibus. Sannazarii illud eſt

- - - - hunc tamen alto
Chriſte vides caelo, (proh dolor) & pateris?

repone in ejus locum,

- - - - hunc tamen alto
Chriſte vides caelo, (proh dolor) atque ſinis.

Continuo languidum, & invenuſtum fit Epigramma, ac prorſus corrumpitur. Quid de admirationibus dicam, in quibus triſyllaba ſtupendam vim, & poteſtatem habent? Nam in hoc Diſticho.

Maretur jaculos celeres Lybiae incola: virus
Dii magni, quanto majus habent oculi!

poterat captari biſyllabum in hunc modum

- - - - - - - - virus
Dii magni, quanto lumina majus habent!

Verum longe aptior triſyllabi ſonus admirationi declarandae viſus fuit, & revera eſt longe aptior: quod pluribus exemplis docerem, niſi jam manifeſto ex his perſpiceretis, triſyllaba vocabula non modo Pentametris ad res apte deſcribendas, idonea, vel utilia, ſed etiam neceſ-

ſaria eſſe, quandoquidem tam multa ſunt, quae non poſſunt aliis, quam triſyllaborum numeris commode, recteque declarari. Quadriſyllaba etiam iisdem fultus rationibus potiora cenſeo biſyllabis, atque optime in Pentametris collocari. Certe ad palatum omnium eruditorum ſunt hi verſus.

Et nondum veris ignibus incaluit,
Deque tuis nectar ſugere carminibus.

Atque his ſimilia; nec vero id temere, aut caſu ſcribunt veri Poetae, quando non tam ſupine, & oſcitanter in hoc ſtudio verſantur, ut, dummodo verſus repleant, non conſiderent etiam, quae verborum ſit melior connexio, qui ſitus & quae diſpoſitio pedum magis ſit conveniens. Sed heu! aliter nunc fieri videmus: dum totum iſtud, quod poetari vocamus, ſcholaſticum neſcio quid, & otioſus puerorum luſus putatur. Ita enim praepoſtero plerique judicio nunc cenſent, ludicram eſſe poeticam artem, & pueris etiam, vel neſcio quibus de trivio Magiſtellis, ſecretiſſima, ſacratiſſimaque illa Muſarum penetralia patere: quae graviſſimi quondam aetate,

prudentia, & doctrina Viri frequentavere. Potabantur quin ipſimet Reges, ſtudia haec noſtra tutabantur, &, qua pote, provehebant.

Pars quota nunc Latiae curat modo ſacra Minervae?
Cui cordi Muſarum inclyta ſunt ſtudia?
Quis ſacros vates, & Phoebo digna locutos
Protegit, & grato detinet hoſpitio?
Nunc ubi Maecenas Pater, & Zamoſcius artium
Maximus ille armis, Maximus ille toga?
In decus antiquum qui reſtituit proſtratam
Sarmatiam, hinc armis, artibus inde bonis?
Qui nunc divitiis pollent, & honoribus! an qui
Aurea ſectantur munera Pieridum,
Et qui antiquorum recolentes ſcripta virorum
Se Sophiae in ſanctis involuunt latebris?
Nil minus. Infelix, aetas ſi te iſta tuliſſet,
Simonide! Virtutum omnium acerba cinis,
Non te donandum titulo vulgaret Equeſtri,
Qui nunc Lecheao ſceptra tenet Themidos:
Haec ſiquidem veteres aetas oblita labores,
Nil, niſi quae pingui Palade deblaterat
Bartolus, aut ſpurco Baldus ſermone pedeſter,
Aeſtimat, atque alios, quos pudet eloquier.
Hinc Muſis praecluſus honos, non ulla laborum
Hinc ratio, hinc nulli praemia propoſita

Doctrinae, & ſtudiis merces ablata bonarum
Artium, earundem & grande prius columen
Heu Procerum cecidit larga, & prolixá voluntas!
Nilque adeo, quo ſe jam tueantur, habent.
Haud ſecus, ac Scythico Gothus cum fuſus ab amne
Barbarus everſa funditus Auſonia
Urbem ipſam ſaevis tenuit (proh dedecus) armis,
Preſſit & obſcoeno libera ſervitio
Italiae colla, & pulchris procul artibus actis,
Invaſit foedans omnia barbaries.
Quemnam igitur deinceps juvet ardua culmina Pindi,
Atque ſequi fontes vertice difficiles?
Quemve & Apollinea circumdare tempora lauro,
Ora caballina proluere & ſcatebra?
Quem penetrare juvet naturae arcana latentis,
Menſuriſque ſuis corpora dividere?
Quemve orbem, ſoliſque vias percurrere mente;
Unde tremor terris, unde polo tonitrus?
Unde procelloſum ſurgat mare, moxque reſidat,
Quid quatiat caelo lampadas horriſono,
Unde nigror ſolis, curſu quia deficit ipſo
Luna cruentato picta genas minio.
Nil laudis tituliqde ferent, nil utilitatis,
Qua ſe ſuſtentent, Vatibus iſta ſacris.
Quare age, multi ajunt, miſero quid carmen Alumno,
Quidve dabis teſtudo aurea, mellifluum

Donatura ſonum vel mutis piſcibus? eheu!
Nil niſi plena dolis verba dari aſpicimus.
Nempe *pruinoſis horret facundia pannis*,
Sunt tentandae alio tramite divitiae.
Haec ratio multos cogit valedicere Muſis,
Et flocci coetus ducere Pierios.
Idque potiſſimum eorum crimine, Publica quos res
Deligit ad ſupremum imperii regimen.
Tu tamen in rectis ſtudiis, Lechea juventus,
Eſto usque intrepido pectore; ne, quid agant
Ignavi proceres, ad debita praemia pigri,
Sit cura; aſt homines quid facere, atque ſequi
Conveniat, quos ſola movet fax mentis honeſtae
Gloria, & egregiis laudis amor ſtimulis.
Nam ſua virtuti quamvis non praemia dentur,
Perpulchrum virtus ipſa ſibi pretium eſt.

Venio nunc ad monoſyllaba, quae, ut ſcitis, pentametrum ingredi nolunt, niſi vox item altera monoſyllaba ultimam praecedat, ut in hoc verſu Ovidii

Praemia ſi ſtudio conſequar iſta, ſat eſt.

Quod quidem ego valde probandum cenſeo. Eſt enim ſicut in triſyllabis, ita in his peculiaris quaedam facultas, ad interrogandum. Qui non

peni-

penitus naris obeſae eſt, facile ex hiſce exemplis animadvertet.

Ex his, qui vivunt, nullum probat Avila vatem,
Cui nemo bonus eſt, quis precor huic malus eſt?

Item:

Hei mihi! cur ludus tam vetus hic novus eſt?

Poſtremo.

Congrua ſermoni verba latino ubi ſunt?

Monoſyllaba apte collocari in Hexametris nemo non ſcit. Nulli ignotum illud Virgilii

- - - - - *procumbit humi bos.*

In mea ad Eq. Valenti: Elegia ſuccurrit exemplum.

Nobis rauca negat protendere ſe in ſonitum vox;
Aegre & verba ſuos inveniunt numeros.

Quorum ſimilia proprio quisque ſtudio in Poetarum lectione obſervabit. Nos haec adduximus, ut pateat, quam ſuperbe, & crudeliter novi Romuli iſti litterarum Tyrannos agant in Poeſi Elegiaca. Percepiſtis jam ſatis copioſe tum ipſam Elegiarum naturam, tum ea, quae ad illius optimam conſtitutionem facere nobis eſt viſum; quod ſi non ſatis clare explicavi, id ne

toti cauſae meae noceat, ad extremum acceſſo varietatem. Eſt enim Poeticarum virtutum maxima. Jam quid magis varietati adverſum, ac proinde faſtidii plenius, quam eodem ſemper modo ſcribere, nusquam ab incoepta aequabilitate recedere. Dicant mihi biſyllabarii Poetae, quid eorum palato inſuavius, quid ſtomacho inimicius, quam eodem ferculo perpetuo ſaburrari, & ad nauſeam oppleri. Hoc non illi tantum, ſed & ipſorum vaſta loquuntur caenacula. Nonne idem animo accidat ex inſipida verſuum ejusdem ſaporis copia? Quatuor ſunt Poeſeos animae, venuſtas, nervus, candor, numerus. Pulcherrimum Scaligeri tractatum, quarto Poetices libro, conſulant Biſyllabarii. Ego de numero ſic argumentor: Cum ſit anima ille Poeſeos, nequaquam barbarico contemtu eſt negligendus. Meminerint Magiſtelli verſiculi illius Horatiani.

Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

Magnam habet cum Muſica Poeſis affinitatem, quin imo Poeſis Muſica eſt, & quaedam ſaltatio. In ſaltatione autem, quid invenuſtius, quam

in ſtaticulis iisdem pedem ponere, eundemque ſaltatorium orbem verſare ſemper? Quod in ſaltationibus eſt membrorum agilitas, in verſibus eſt numerorum Varietas. Vos comparationem hanc latius extendite. Mihi neque ſaltare jam eſt integrum, juvenes nobiliſſimi: ſed curſu celeri ad aliud propero argumentum, quod mihi ab oratoria arte ſuppeditatur, quae circa numeros etiam non leviter occupatur; orationes enim licet verſuum legibus non ſint adſtrictae, numeris tamen ſuis vinciuntur, ut in aures auditorum molliter, & ſuaviter influant. Id Rhetores in initio periodorum, ſed in fine maxime ſpectant. Quo nomine Cicero tot in locis *numeros non eodem modo, ſed varie concludendos* praecipit. Si hoc in orationibus, quanto magis in Poematis fieri debebit? ubi jam ſunt illi Biſyllabarii? quid muſſant? fatenturne ſe victos? nec jam amplius reſiſtunt, aut prohibent, quo minus cum Scaligero ſtatuamus, *in Elego Pentametro* libertatem eſſe cujuscunque modi, cujus exempla omnis generis experiantur. Verum illi veluti Antaei ſunt, qui nec victos

ſe eſſe volunt, ubi terram momorderunt: opus eſt omnino Hercule ad eos extinguendos. Congrediamur adhuc ſemel, & quid valeant, experiamur. Fluidos, inquiunt, oportet eſſe Elegiacos verſus. Elegiarum, quam tu adfers, ratio aſpera, hiulca, confragoſa, nec ſani coloris eſt. Inſtar rivuli molliſſime fluentis per prata Elegia decurrere debet. Tu eam duriorem reddis, & Euripum ipſum imitari vis. Non faciemus. O Nugatores! metuebam, quorſum evaderetis. Scilicet

Quodcunque argutum doctis, lepidumque vocatur,
Grammatici illepidum, frigidulumque putant,
Quod vero inſulſum doctis faſtidia movit,
Grammatici laudant, mirificeque probant.
Quae ſit Cauſa peto? reſpondet Phoebus Apollo:
Florum gluten apes, carduum amant Aſini,

Et o revera ſtultae mentis aſinos, atque iniquae, qui pro fluidis verſiculis fluxos nobis, & languidos obtruditis! Elabuntur quidem auribus, neque ſui veſtigium relinquunt ullum, nusquam haerent, ſine aceto, ſine ſale toti ſunt. Rationem mihi reddite, cur noſtra Elegiarum

Digitized by Google

ratio aſpera, hiulca, confragoſa, neque ſani coloris vobis videatur. Nonne ex intima Elegiarum natura conſtitutionem eduxi? Nonne quae affirmavi, firmiter comprobavi? Ergo iterabo? Ego vero id non faciam. Id unum tantum addam, quod olim, neſcio de quo, dictum legimus: *Peccare eum, quod nihil peccaret.* Et quemadmodum Martialis de feminarum munditia, & nimio unguentorum ſtudio ſcripſit.

Femina non bene olet, quae bene ſemper olet.

Sic ego pronuncio de veſtra fluida vena.
Non bene vena fluit, quae bene ubique fluit.

Etenim, ut mulierum pulchritudo non perpetuo cultu, ſed ſimplici apparatu conſiſtit; ita verus Elegiarum decor, non ex ornatu nimio, quem Naſonis Simioli iſti naſutuli adhibent, & exquiſita illa pedum aequabilitate, quam illi fluidam venam putant, ego fluxam; ſed ab apta rerum, verborum, numerorumque inter ſe legitime diſpoſitorum concinnitate pendet. Videmus in picturis id nobis accidere, ut, ſi diu pulchram imaginem fixis oculis intueamur, obſordeſcat illa viſui noſtro, ac tandem faſtidium pa-

riat. Idem in animo eveniat neceſſe eſt, quem ſi diu in unius rei nulla varietate diſtinctae conſpectu detineas : an cenſes illum delectari magis, quam cruciari ? Videmus proinde pictores non venuſtas ſemper imagines, neque colore ſemper uno depingere, ſed apponere etiam exeſas rupes, diruta palatia, columnas dimidiatas, pyramides truncas. Ad iſtum modum in Elegiis non unus ſemper rei color, non una facies oculis lectorum objicienda; ſit oratio mollis modo, aſpera etiam, ut res ipſa feret. Interdum leniter, ac placide fluant numeri, interdum, ubi opus ſit, rapido curſu intorqueantur, obhaereſcant modo, modo in orbem circumaganiur, modo celerius, modo tardiuſcule decurrant. Quae omnia cum ſatis copioſe demonſtrata ſint, ad finem perducta eſſe videtur, haec omnis de pedum Elegiacorum ratione, & ſono numerorum diſceptatio; in qua, quo minus finem faciam, Ovidii facit auctoritas. Hic igitur, quam potero, breviter de re ſic agam, ut, ſiquidem appareat, neque Ovidium eſſe Principem Poetarum Elegiacorum, indidem pateat, eum neque tantum

habere auctoritatis, ut, quia ſolus ipſe ſolis biſyllabis ſemper uſus eſt, eo ipſo facto neceſſitatem nobis imponat, ut, rejectis polyſyllabis, biſyllabis tantum utamur. Hoc praemitto, me Ovidium facere maximi; ſed quod ipſius Simiae detractum aliis, contra fas Ovidio addiderunt, id detraham ego viciſſim illi, & ſuum cuique reddam. Sic ergo ratiocinium meum inſtituo, & quidem in forma logicali, cum mihi res ſit eum Magiſtellis,

Indixere mihi bardo qui bella tumultu,
Atque canunt tardi claſſica more aſini.
Quid faciam? dem terga? quid o bardiſſima turba?
Si volo, mors unus, mors tibi Jambus erit.

Poetarum Elegiacorum illum Principem ſtatuere, & fateri debemus, qui carminibus ſuis ipſam Elegiacorum naturam optime expreſſam repraeſentat. Atqui Ovidius, dum genio ſuo nimis indulget, procul a vera, quam ſequi debebat, Elegorum natura diſceſſit. Ergo &c. Sed extra formam. Quales Elegiae eſſe debeant, jam demonſtravi: quales ſint Ovidii Elegiae jam oſtendi. Nihil ergo opus eſt, longam inſtituere com-

parationem. Aut igitur, quae de carminis Elegiaci conſtitutione attuli, falſa erunt, quae falſa eſſe non poſſunt; aut Naſo, quem hactenus Principem Elegiacorum Poetarum ſtatuerunt Magiſtelli, Princeps non erit; cui tamen omnia me tribuere profiteor, praeter ſummum inter veteres Elegiacos locum. Scio Ovidium eſſe plane admirabilem; addo etiam, nulli imitabilem: Admirati ſunt omnes; imitati ſunt multi; nemini ſucceſſit. Hoc denique affirmo, ſi quis Naſonem imitari poſſit, imitari tamen eum non debere. Cujus Cauſam, ne toties inculcem, vos ipſi jam noviſtis. Valeat ergo Ovidii auctoritas, qua ſola tabernarii iſti Biſyllabarii nituntur; Vincat ratio. Utatur more ſuo Ovidius biſyllabis, nos more noſtro, id eſt, cum ratione, monoſyllabis, triſyllabis, quadriſyllabis, & aliis utamur vocibus, quas natura carminis Elegiaci requirit. Relinquamus Ovidio ſuam venam. Rationem nos optimam illam in omnibus ducem perpètuo ſequamur. Tribuamus aliquid Ovidio, ſed plus aliis; Catullo dico, Tibullo & Propertio, quos certare inter ſe

de principe loco videmus. Ac de Catullo ut prius agam, tantam ab eruditis omnibus adeptus eſt laudem, ut Docti cognomine paſſim donaretur: Martialis unum hunc ſibi audacter praeponi voluit.

Nec multos mihi praeferat Poëtas,
Uno ſed modo ſim minor Catullo.

Aulus Gellius in Noctibus Atticis Catullum *elegantiſſimum*, *mundiſſimum*, *venuſtiſſimum* aſſerit; a quorum judicio diſcedunt hujus aetatis inſulſi Magiſtelli, a quibus aut omnino improbantur Catulli verſus, aut ut hiulci, duri, & confragoſi cenſentur. Contra quos ſic inſurgo.

Et potis eſt quisquam docto obtrectare Catullo;
　Inque venuſtum illum dicere, & illepidum!
Id nempe hac audent aetate, nec unus & alter
　Sarmatia in magna, verum alii, atque alii;
Rurſus ab his alii laudant ut cetera tanti
　Vatis, non illam in carmine Scabritiem.
Idcirco curant Elegos cum fingere verſus,
　Naſonis ſolo ex fonte petunt numeros.
O Seclum inſipiens! Cui ſit Rhamnuſia Virgo,
　Cuique ſit iratus carminis ipſe Pater!
Tu haud ſecli hoc vitio *Lechea* ferere *Juventus*,

Digitized by Google

Non ſi quis laudis incaluit ſtimulis.
Ipſe ſacem unus nobis praeferat ad juga Pindi,
Seu placeat Jambos, ſive Elegos facere.
Nam neque nativis verbis eſt purior alter,
Nec plus largiſluo fonte ſcatet venerum,
Seu canit heroum laudes, clarosque hymeneos,
Sive tuum, Peleu, nobile conjugium.
Sive jocos agitat, vel amaros mittit Jambos,
Seu duram aggreditur flectere Lesbiolam.
Quare mi ſanguis cor circum accenditur igne
Plurimo, & ex toto pectore diſcrucior.
Hac in quod Regione Virum vulgus, Juvenumque,
Qui laudem inſtituunt quaerere carminibus,
Unde, unde ingreſſum hunc quaerunt, exempla petuntque
A quovis alio, ut cuique magis volupe eſt:
Unum praetereunt, Phoebo indignante, Catullum,
Nec, ſcio qui Genitor Jupiter id toleret.
Quid fieri hoc dicam, paulum permittite Muſae,
Diſſolvam moeſti cordis amaritiem!
An quia non placet is, vel quod minus illa probatur
Condendorum Elegorum & ratio, atque tenor?
Verum hoc eſt illis miſerum, ut miſerum aegrotanti eſt,
Cui ſapit eſca malam dulcis amaritiem.
Eſurit & pupus, deſpecto acipenſere, pomum:
Omne adeo exigua in mente perit pretium.
Vel ſi Phidiacum marmor ſpectaret agreſtis,

Quod Jove ſub duro longa dies tetigit ;
Ipſam etiam ex Indô Tritonida dente politam
Cui clypeus ſculptis aſper Amazonidis,
Terrigenasque gerit Fratres coelum affectantes ,
Centaurisque graves ſunt Lapithae in ſoleis ;
Illico praeteriens obtutus declinaret
Indocilis, quantae cerneret artis opus !
Graecia quod cupide tota olim proſpectavit.
Si par iis ratio eſt ; hoc magis eſt miſerum,
An labor ingens, & magni res plena pericli
Sevocat a laude hac carminis ingenia ?
Inſuetum quod iter viſus tenuiſſe Catullus,
Quod vix fas tetigiſſe eſt hominum pedibus.
Sed quid non potis, eſt hominis labor, & ſtudium, & mens
Ejus, quem poſſis dicere magnanimum ?
At vos interea a docto quoscunque Catullo
Faex mala Grammatici ſevocat Aſebii ,
Nil mihi vobiſcum eſt, incommoda ſaeculi abite,
Tuque veni in noſtras uſque Catulle manus.

Hui! exclamant Magiſtelli. Nae tu Simius es Catulli, qui tam feliciter ipſius ſcabritiem aucuparis, ejus ſtercora colligis, ejusdemque amarulentiam liberaliter nobis propinas ? Cave ſis interea, ne & tu quoque *Ibidis* (*) nomen ha-

(*) *Ovidius in Ibin. Ibidis interea tu quoque nomen habe.*

beas. Et nos remorſuros ſcias, & foenum habere in cornu. Splendide mentiti eſtis. Non in cornu, quo ſi eſtis inſigniti, inerme illud eſt, & ſine ictu, ſed in ore potius foenum, lappas. tribulos, carduos habetis, qui tam dilucidis, & apertis rationibus obniti adhuc, & reſiſtere audetis. Nil igitur quidquam apud vos profeci? ergo, quae dicta ſunt ſemel, iterare ſaepius, ac repetere cupitis? Ego vero, ſi id faciam:

Infelix operam deperdam (*), ut ſiquis Aſellum
In campum doceat ſpatioſum currere freno.

Itote ad veſtros carduos, aut fuſte dedolati referetis hinc pedes.

Huc, huc o Muſae! hi flagris caedantur aſelli,
Et ſint grata Deo victima Lampſacidae.
Cur ceſſas Aganippidos arx? ſubito arma parato,
Et focius Vatum perfremat arma chorus..
Audiſtis bardos fremitus, crepitusque Magiſtrum?
Injectis calcant (proh ſcelus!) ut pedibus
Inſcriptos Pindo verſus; ipſumque Catullum
Dilectum Aoniſin dente petunt ſtolido!
Et ceſſas Aganippidos Arx? arma, arma parato,
Arma, Poetarum perfremat arma! chorus!

(*) *Horatius.*

Mox denſis bardas pecudes circumdate turmis,
  Atque hinc, atque illinc labra, oculos, latera
Pungite, figite, dilacerate, plagas duplicate.
  Ut dura cute ſint, ſpicula veſtra tamen
Sentiet Aſebil bardiſſima turba Magiſtri,
  Atque capiſtro aveat reddier, atque molae.

Venio ad Tibullum, qui ab omnibus *culti* epitheto cenſetur. Quintiliano etiam, ſummo judicio Viro, terſus, atque elegans viſus fuit; ſed *eſſe* tamen inquit, *qui malint Propertium*. Divini Scaligeri haec eadem eſt ſententia, cui meam ſubſcribo. *Tibullus*, inquit, *cultiſſimus*, *ſed uniformis paene totus*, *& a ſeipſo vix diſcedit*: *Propertius vero facilis*, *candidus*, *& vere Elegiacus eſt*. Auditis de Propertio, quid affirmet? *Vere Elegiacum* inquit. Nemo autem non ſcit, Propertium clauſiſſe Pentametra multiſyllabis numeris, quos idem Scaliger *molliuſculos & mollitudinis alumnos* vocat. Quodſi Propertius vere Elegiacus eſt, nonne ſtabilitur illa, quam ego hactenus tradidi numerorum ratio multiſyllaborum? quos de induſtria quaeſitos, electosque veri Poetae adhibent, quod & in mul-

tis locis ipſummet Tibullum feciſſe facile perſuadeor, & vobis, aequi lectores, me facili negotio perſuaſurum puto. Si lubet in rem praeſentem veniamus. Atque ecce in ſecundo libro iſtos Pentametros.

Bellica cum dubiis roſtra dedit ratibus.
Abdita quae ſenis fata canit pedibus.
Troica qui profugis ſacra vehis ratibus.

Iſtos, inquam, verſiculos retentis iisdem verbis atque in finem rejectis biſyllabis, hoc modo interpolate.

Cum dubiis ratibus bellica roſtra dedit.
Quae pedibus ſenis abdita fata canit.
Qui profugis ratibus Troica ſacra vehis.

Non animadvertitis, quantum iidem verſus, iisdem vocibus, numeris tantum aliis affecti, quantum a priori ſono & venere degenerarint, illito hoc biſyllaborum fuco? vel hos duos adhuc videte,

Et madefacta meis ſerta feram lacrymis.
Neve neget quisquam, me duce, ſe comitem.

Retinete verba; diſpoſitionem numerorum immutate in hanc formam.

Serta feram lacrymis & madefacta meis.
Se Comitem quiſquam, me duce, neve neget.

Nonne aures dolent, tam eximia ſoni ſe privari voluptate? Idem accidit in quadriſyllabis.

Unda Deum caelo miſerit indigetem.

In hanc faciem ſcribitote

Indigetem caelo miſerit unda Deum.

Omnem fere ſimul ornatum detrahitis. Ad Propertium redeo, qui rationem habuit pedum, & numerorum accuratiſſimam, ut, ſiquid vel leviſſime transponas, in concinnitatem ſubito pecces vel graviſſime. Perſpicuum tribus faciam exemplis. Propertii hi verſus ſunt.

Sed quos ipſe ſuis fecit amor manibus.
Semper vive meo libera judicio
Et terram rumor tranſilit & maria.

Sic inverti poſſunt.

Sed fecit manibus quos amor ipſe ſuis.
Judicio ſemper libera vive meo.
Et terram rumor tranſilit, atque mare.

Nihil immutavimus, niſi in verſu poſtremo duas voces, & evanuit omnis verſuum prior elegantia, verſaeque ſunt numerorum illae deli-

ciae in ruſticas, ut cum Catullo loquar, inficetias. Quamobrem Catulli, Tibulli, ac Propertii auctoritas, & haec tot exempla multorum inſtar argumentorum vobis eſſe debent, ut numerorum ſupra traditam rationem eo veriorem, certioremque judicetis, nec in ſcriptis veſtris eadem uti, vel tantillum vereamini, licet Magiſtelli vel rideant, vel ringantur, atque etiam rumpantur univerſi.

Aſebium naſus ſit regula Grammaticorum,
Stultius hac nihil eſt, & ſapidiputius.

Retineant Aſebii Deum ſuum Naſonem. Vos rationi, & ejus certiſſimis argumentis obtemperetis; muniatis vos auctoritate Catulli, Tibulli, ac Propertii, quos illi fortaſſis nec legere quidem, & aſpicere dignantur.

Usque adeo bardi, ſtulti, ſtolidique, Midaeque
Digni ſunt, Phoebus quos ſimiles faciat.
Alterum at interea permulcet laudibus alter;
Nempe fricant, ſcitis, ſic Aſinos Aſini.

Obrudant per me licet, donec ſtupidiſſimam agant animam. Ego certe non moveor eorum maledictis quidquam.

Dum

Dum Aſebii me nigra tuo faex impetis ore,
    Atque notas theta carmina noſtra nigro.
Vis, quod ſtulta facis, quid ſit, tibi dicere pergam ?
    Illud quod tardi nempe Aſini facere,
Dum rudunt, ſoliti. Geminent quantum libet hiha,
    Non tamen ad ſuperos permeat *hiha* poios.

Dicam porro cum Martiali.

Si me laudaſſet, laeſerat illa magis.

Sed jam fumum etiam creabo acerbiorem, ut illis oculi doleant, vehementius. De Catullo, Tibullo, Propertio retuli judicia veterum. Addam, quid de Ovidio ſenſerint veteres, quos certe ſine affectu judicare potuiſſe, non eſt negandum. Ac praecipue ab omnibus Ovidio objicitur fatalis illa ingenii luxuria, quam nunquam cohibere valuit. Hinc Fabius *nimium ingenii ſui amatorem* vocat, ut *indulgere illi maluerit, quam imperare*, Scaurus apud Senecam Declamatorem, inter Oratores Ovidium vocare ſolitus fuit, addiditque, *non minorem eſſe virtutem ſcire deſinere, quam ſcire dicere.* Sed *non poſſe Ovidium, quod bene ceſſerit, relinquere.* Haec pauca ſatis ſunt ad Veterum de Na-

ſone cenſuras & judicia declaranda. Valeant ergo Ovidii Simiae, qui ſe omnes laudum numeros impleviſſe, ſeque beatos arbitrantur, cum Elegos biſyllabis voculis concluſerunt, cum una pertica omnes Pentametros dimenſi ſunt. Quare ſua opinione meri ſunt Ovidii, ſed mea, Muſarum carcinomata, & vomicae; Hinc chartas frigidis, illotis, ſcabioſis carminibus, paene criminibus dixeram, complent, ut fiat illud Satyrici.

- - - - - miſere vitiata papyrus
Carnificem ſtulto compleſtitur ordine verſum.

Jactent ſe illi Ovidiani carminis Artifices,

Artifices poſſum hos dicere Carnifices,
Carmina quotque cacant, tot ſunt mihi nomine verſo
Crimina.

Vos ut in illorum numero, ne ſitis, Juvenes Poloni, omnes ingenii nervos contendite. Quod ſi feceritis, Muſas habebitis propitias, & Apollo ſponte vos in Parnaſſum ſuum, ſemotis omnibus viae difficultatibus, & anguſtiis, deducet. Facietis autem id recte, ſi non ſomnolenter, & ſupine, quemadmodum Magiſtelli

illi, poeticam artem tractetis, & quae de vera hactenus Elegiarum natura, deque optima carminis Elegiaci conſtitutione diſſerui, in lectione veterum Elegiographorum, deinceps obſervetis, & in ſcriptis veſtris ad uſum transferre nequaquam dubitetis. Ejusdem ac ego ſententiae fuit Leopolienſis veſter Simon Simonida, Magni Jo. Zamoſcii Secretarius, quem Juſtus Lipſius, ſui ſaeculi Varro, inter *doctorum ac bonorum Virorum apices* poſuit.

Non tam Hypanis Veneto diſſidet Eridano,

Quantum Simon Simonida ab illa Ovidianorum haereſi longe receſſit in ſuis divinis Elegis, quos idem Lipſius, *eruditos*, *antiquos*, *ſuaves*, *& numeros ac phraſim Catulli habere pronunciat*. Habetis Concivem, quem imitemini, Juvenes Poloni, quemque ut liceat vobis

Nocturna verſare manu, verſare diurna:

Unicum illud exemplar Bibliothecae Zaluſcianae, Zamoſci impreſſum, anno MDC II, àb Andrea Janocio Can. Küovienſi, Digniſſimo ejusdem Bibliothecae Cuſtode, Viro apud litteratos conſpicuo, mutuo mihi traditum, ad Polonici

nominis gloriam, veſtramque utilitatem denuo typis committere conſtitui. Simonidae vero veſtro Socium addere viſum eſt noſtrum Raymundum Cunich, Eloquentiae in Romano Loiolitarum Athenaeo Profeſſorem. Non pomum pomo, non ovum ovo magis ſimile, quam Cunichius noſter Simonidae veſtro,

Namque facit, pol, Cunichius cognata Catullo
Carmina, quaeque idem duxerit ille ſua:
Quaeque ego jurarem, & quivis uno edita partu,
Ni aetatum facerent ſaecula diſſidium.
Hunc ego ſuſpicio multis in millibus unum,
Multa nec ornando millia ſufficiunt.

Huic ego Viro clariſſimo, antequam ab urbe diſcederem, Varſaviam conceſſurus, ſequens Hendecaſyllabum ſcripſiſſe memini.

Ineptus fero noctuas Athenas,
Et poma Alcynoo, lyramque Phoebo
Et ſpicas Cereri, Pali & recentis
Lactis cymbia, retia & Dianae,
Florae lilia, vineamque Baccho,
Qui Tibi lepidiſſimo Poetae,
Cunichi Venerande, mitto verſus,
Quamvis nec lepidos, nec elegantes,

Atque omni ſale, gratiaque nudos;
Sed ne ruſticulus nimis Poeta, &
Ingratus videar, tibi has repente
Nugas illepidas, & inficetas
Scripſi peſſimus optimo Poetae,
Ut noſtri monumenta ſint amoris,
Erit qui penitis mihi in medullis
Fixus, Sarmatiam licet nivalem
Petam, Viſtula ſtat gelu qua acuto,
Tergo & ſuſtinet unda ſtricta currus,
Plauſtris hoſpita, quae fuit carinis.
Memor ſemper ubique & uſque ſuavis
Tuae amicitiae, tuaeque laudis.
Semper te reminiſcar, atque ſemper
Tuumque ingenium, tuasque Muſas,
Dum vivam, celebrare me juvabit.

Sed jam abrumpo, ſtyli luxuriem, & coronidem impono huicce diſceptationi, in qua, ſi prolixior fui, quam debui, imputabitis id, juvenes aequiſſimi, materiae amplitudini, cui parem ſermonem noſtrum oportuit eſſe; vel ſi a propoſito longius aliquando receſſi, cogitabitis me ad alia, quae noſtrae diſputationi affinia erant, ſic fuiſſe tractum;

Non ſecus arcanis Lydorum effoſſus in agris
Herculeus lapis, aut cautes Marpeſia ferrum
Fundit in oppoſitum leges. Vi percitus illa,
Cogitur in lapidem connitier annulus ultro,
Et ſocios ſecum perducere; ferrea donec,
Ordine demiſſo conferta trilicibus hamis,
Flectitur in longum nexu pendente catena.

Non aliter ego ex una diſputatione incidi in aliam vicinam, ut rei toti, quatenus poſſem, omni ex parte ſatisfacerem. Quod ſi acrior, quibusdam & vehementior in malis opinionibus Poeticulorum inſectandis viſus ſum, ii ſciant, me juſto dolore commotum, ea protuliſſe, quae ab aliis audire maluiſſem, ut miſeriam Scholarum declararem, atque iſtius temporis infelicitatem. Certe qui litteras amant, & bonis litteris conſultùm cupiunt, non poſſunt hos Magiſtellos Muſarum Carnifices amare, ſed extreme, quotquot ſic docent, odiſſe debent, &, ut e ſuggeſtu dejiciantur, adjuvare. Quod etiam profecto niſi fit, ut Viri Magnates, & Docti conjunctis animis illorum inſcitiae obviam quam primum eant, actum erit de ſtudiis litte-

rarum; atque iſta nobiliſſima Regio, quae tanquam foecunda Genitrix illuſtres edidit Hoſios, Zamoſcios, Simones Simonidas, Cochànovios, Sarbievios, Lubienios, Naruſcevios, totque alios inſignes Viros, quaſi laſſa & effoeta infelici nixu parturiet Choerilos, Maevios, Bavios, Aſebios.

Saecli incommoda, barbaros Poetas,
Inanes, vacuosque litterarum,
Inſulſos homines, & inficetos,
Quorum Carmina nec legunt cacantes,
His ſe tergere quin ſolent cacantes.

Ad me quod attinet, volui quidem opera mea aliquid afferre hiſce ſtudiis adjumenti. Quid effecerim, judicent Poloni illi.

Qui afflati propiore Deo, & divina ſonantes,
Communi haud feriunt carmen triviale moneta,

Non ſpurii Magiſtelli, qui neque primis labiis, dulciſſimos Parnaſſi fontes deguſtarunt, rejecti a Muſis, atque ablegati ad foedos lacus, in quibus ranas habent Muſas, quarum cantus adeo celeriter addiſcunt, ut verſibus ſuis aſſidue coaxantes ipſas ranas Magiſtras importuno ſtridore ſuperent, & nunquam deſinant moleſti eſſe auribus Eruditorum.

EIVSDEM

IN FAVSTISSIMOS, ATQVE OPTATISSIMOS

NATALES

CELSISSIMI PRINCIPIS, ADAMI, ALEXANDRI, FELICIS CZARTORISKI

AD

CELSISSIMVM PRINCIPEM PATREM, SVPREMVM PODOLIAE DVCEM.

Nox, quae ſopitis indulgens otia terris,
Sidere felici, roriferisque rotis
Invecta, egregiam, ſic promittentibus aſtris,
Sauromatum terris laeta dediſti animam;
Te mox Sacra manent, te ſplendida feſta quot annis,
Quae primae lucis dona *Jagellonio*
Largiris *Puero*, ſemperque norabitur almae
Noctis honos. Aras nunc tibi lacte novo
Tingimus, ac multo fecunda papavera ſomno
Spargimus, & myrtos: Tuque ades, alme Geni,
Naſcentem Puerum cui ceſſit cura tueri,
Czartoriskiadum tecta ſuperba ſubi,

Natales intraque Lares; age, prima *recentem*
Cura fovere *Animam* ſit tibi, ſancte Geni.
Sanguinea cervice pectus non imbuat aram,
Nulla tibi noſtra victima caeſa manu eſt;
Serta tibi florum legimus, tibi ſerta dicamus,
Fundimus Hungarico pocula plena mero;
Tingere labra omnes Lenaeo munere certant,
Inſomnemque omnes noctem agitare juvat.
Tu quoque *naſcenti Puero* Lucina benignas
Diva potens uteri deproperato manus;
Solve laborantem materno carcere prolem,
Maturos partus rite aperire potens.
Sed thorus inſolito paſſim ſplendore coruſcat,
Coccinaque ambroſio ſyndone tacta nitent;
Lucis adeſt Dea: ſurgentes depone querelas,
Dia Parens, puras audiit illa preces.
Pone modum lacrymis, flavis jam parce capillis,
Turgidulisque oculis, turgidulisque genis.
Erumpunt Helicone Deae procul ecce ſonoro,
Votiva & plenis dona ferunt calathis;
Hae portant ſectas Lauro Parnaſſide cunas,
Faſciolas iſtae, & candida linteola,
Et *Puero* Violis permixta crepundia vernis;
Vagituque novo ſplendida tecta ſonant.
Aſt aliae varia certatim fronde coronant
Veſtibulum, & ſpargunt flexibiles hederas.

Digitized by Google

Calliope at Matronarum ſociata catervae
Sarmatidum inſigni, diſſimulata Deam
Veſcentem coelo, primo auras ore trahentem
Ulnis in *Puerum* convolat implicitis,
Et ſuavem invitans mota ad cunabula ſomnum
Blandiſono mulcet carmine compoſitum.
Hoc erat, hoc, Auguſte *Puer*, quod nuper Apollo
Praemonuit, Parcas fata ſecunda Tibi
Nere colo faciles, Cylleni Numen amicum
Sarmatiae cunctis innuit haec populis.
Innuit, & placido riferunt ſidera vultu:
Ipſa Tibi partu terra recente hilaris
Excutit e grenio pondus nivis, atque tepentes
Liquitur in rivos irritus ecce labor
Durae hyemis, gelidis ſtridoribus exulat Auſter,
Atque Aquilo cinctus vellere hyperboreo.
Frigore captivos indignans Viſtula fluctus
Laetus avis, fetu major & ipſe novo
Duratos latices denſam in glaciemque, nivemque
Conterit, & totis in mare currit aquis;
Quaque pedes ierant, itur nunc lintre; nec audent
Ducere tardigradi ruſtica plauſtra boves.
Ipſe tibi glacialem hyemen ſol depulit imas
Sub terras; longo jam facit ore dies.
Felices Auguſte dies age, *Parve Jagello*,
Dent Parcae & faciles in Tua fila manus.

Speſque Patris, Matriſque auge, *Puer* alme, tenelle,
    Votaque *Avi ſuperes* fervida, vota *Aviae*,
Auguror: & patrias olim meditaberis artes,
    Et ſtudia heroo digna ſupercilio,
Sive Tibi carmen placeat; Tibi carmina Muſae
    Dictabunt; virides cinget Apollo comas;
Sive vias coeli, rerumque exquirere formas,
    Naturae & juvet involvere Te latebris.
Tempus erit, quo Te populi, Te turba clientum
    Et legum in ſolio cinget amica Themis,
Aut Bellatorem Te patria caſtra repoſcent,
    Ambiet & celeri Sarmata vectus equo;
Mars galeas, frameasque feret Tibi, ſcutaque, & enſas,
    Et bello inſignes enumerabit avos.
Parte alia faſces monſtrabit, & ordine longo
    Proponet Patres inde ſuperba Themis.
Illorum rediviva Tibi ſe ſiſtet imago,
    Illa tuos ingens paſcet imago animos;
Ex illis diſces dura virtute ferocem
    Subdere fortunam, Teque virum gerere,
Jagelloniacam noſces ex ordine gentem,
    Et Czartoriskae tot monimenta Domus.
Tu famam accipies, nomenque, & facta Parentum:
    Quidquid eris, magno munere major erit.
Utque geres laudanda; illos mirabere princeps,
    Heroum digno qui decus ore canunt.

Digitized by Google

Tu vero pulchri *Mater* digniſſima Nati,
  In nova praeteritos gaudia verte metus.
Mater amans, age Matris opus, munusque ſubito.
  En ſed materno jam cubat ille ſinu.
Inclytus ecce *Infans* ad *Patrem* dulce renidens
  Exporgit *Matris* brachiola e gremio.
En *Patri* ſimiles oculos, en *Mater* in ore eſt,
  En vultus, in quo ſpirat uteroque Parens!
Ut genus erecta *Jagellum* fronte fatetur!
  Atque ut Alexander multus in ore natat!
Creſce, *Puer* dilecte Deis, dilecte Polonis,
  Grande Tuae fulcrum, deliciaeque domus!
Creſce, *Puer*, magnis repleas ut plauſibus orbem;
  Sarmata jam veteres quaerere parce Duces.
Vive annos felix Phrygii Senis, atque Aganippe
  Dextera Maeoniie ſit Tibi carminibus.
Haec Dea Calliope, formoſaque brachia collo
  Inferit, & *Puero* baſia congeminat;
Caeruleum fulgorem oculis mox afflat honeſtis,
  Divinusque *Olli* ſurgit in ore nitor.

EIVSDEM
IN DIEM

CATHARINAE COMITISSAE
POTOCIAE
CASTELLANAE CAMINENSIS
VARSAVIAE, ET VISTVLAE
DIALOGISTICON.

Varſavia.

Viſtula, quo tendis praeceps ? fluvioque citato
Plus ſolito mediis quid tumet unda vadis ?
Dant lymphae amplexis argentea baſia ripis,
Lymphaque laſcivis baſia reddit aquis ?
Quid canitur ? ſumma formoſae Najades urna
Feſta canunt; toto vix capis amne Deas.
Aſpicio comtis Nymphas fluitare capillis.
An Juno veneranda aethere deſiluit ?

Viſtula.

Feſta dies nobis rediit volventibus aſtris
De Caſtellanae Nomine *Potociae.*
Mecum adſunt Nymphae, mecum Nereides omnes,
Narrantes magnae grandia geſta Nurus.

Illius ingenium velox, mentemque capacem
    Imperii, prudentem atque futuri animum
Fatales rerum nodos ſecuiſſe peritum,
    Veſtigare arcana, ancipitesque dolos
Sollertem, fraudes obſcuras cernere lynceum,
    Patria & unde viget, Patria & unde ruit.
Quanquam atque irradiet gemmis, & dives opum ſit,
    Sitque Atavum priſcis inclyta imaginibus:
Non nebulam exhalat, quam caeca ſuperbia gignit,
    Fortunam ſed virtutis amore domat.
Scilicet hinc illa emanant praeconia vocum,
    Cum Patriae Lampas, cum Patriaeque Decus,
Flos delibatus Charitum, Suadaeque medulla
    Dicitur, & Patriae Diva Minerva ſuae.
At tu Urbs Lecheae princeps Varſavia Gentis,
    Cuncta Illi unanimi proſpera mente roga;
Huncque diem propera feſto celebrare tumultu,
    Et dare laetitiae nunc nova ſigna novae.

CAROLI MICHAELER
CATVLLVS,
SIVE DE
STYLO, ET SAPORE CATVLLIANO
DIATRIBE:

§. I.
Quaeſtionis hujus expediendae ratio.

Ita, quaſi pacto quodam, inter populares, finitimosque noſtros paſſim convenit, ut C. Valerii Catulli elegias non modo negligant plane, verum & omnium, quas veteres reliquere, maxime inconditas, horridulasque, ac ne tolerabiles quidem putent, eo potiſſimum; quod Catullus in pentametris nihil prorſus veretur polyſyllabis vocibus verſum abſolvere, nec ſenſum uno diſticho conſtringit, ſed conſuetos limites

paſſim egreditur, ac denique quod ea, quae in elegantiis haec aetas numerat, ille parum ſectatur; quae infirma, vulgaria, ac negligenter facta hodie habentur, ſe prorſus ſusque, deque ferre ſignificat. Itaque eum nullius plane frugis Poëtam elegiacum putant, nec dignum, qui aſpici debeat, aut nominari. Ego ſaepe mirari, qui factum eſſet, ut Poëta ejus aetatis, quem conſtaret in ceteris ſcriptis nusquam genio caruiſſe, in hoc ſolo adeo, ut plerique autumant, ineptiret; dubitare demum, ſatisne nobis hominis lautitiae, ac venuſtates ſint cognitae; an ea, quae in vitiis ponimus, non excuſari, quin & probari fortaſſis poſſint; an demum quae ab elegiae natura aliena judicamus, legitimis indiciis monſtrari queant ab ea adeo non abhorrere, ut etiam deceant. Cum nihil comperti usquam haberem, indagaremque ejus perſuaſionis originem, illud reperire viſus ſum, haec omnia pro mendis haberi ex eo coepta eſſe, quod Ovidiano ſapori, qui nunc ferme ſolus in deliciis eſt, nimium adverſari viderentur. Nam certe quia Naſonianus ſtylus ita demum invaluit, inſeditque animis

mis, eo factum, ut alii nunquam ſibi diligentius ea de re, tanquam certa, ac explorata quaerendum putarent; alii indagare, tot refragantibus, non auderent; alii etiam nollent. Cujus enim ullus exſtat ea de re commentarius? itaque ejusmodi accuratior diſputatio quia ſuſcepta eſt nulla, ſequitur nimirum, quae de Elegiaci carminis natura, ac legibus a multis pronunciata ſunt, ea meris perſuaſionibus niti. Nec tamen ego quasdam rationes, aut conjecturas ſaltem probabiles, quae etiam in hominem doctum cadant, nego afferri poſſe: quo nemo ſit, qui ſe contemni a me putet, ſi ei adhuc aliter ſit viſum. Nec mihi hic ſane cum eis propoſitum eſt tricari, quos & ut amicos complector, ac amo; & ut litteratos colo, atque obſervo. Sed quia in iisdem ſententiis multum tamen inter doctos, & indoctos intereſt; hi enim craſſius diſputant; multo illi ſubtilius & rectius: nolim iſta commiſceri genera. Neque ad doctos haec pleraque pertinent: ſuperſtitionem enim redarguunt, qua docti carent; ſi vel eadem partim ſentiant. Extorquenda primum vulgo invete-

rata, ſed tamen caeca perſuaſio eſt, quandoquidem ex uno errore etiam plures alios colligi, latiusque manare inde uſuvenit. At ubi deinceps cum eruditis ſermo erit, apparebit, non magnopere fortaſſis ab eorum ſententiis meas diſcrepare: neque me illas obtrudere cuiquam, ſed errore duntaxat multitudinis detracto, purgatisque vulgi praejudiciis, ſuum deinceps cuivisme relinquere. Nam imperitiſſimus quisque e multis etiam, quae certa ſunt, aut ignorat ſaepe, aut convellit nullo pudore, & contra, quae incerta maxime, ac dubia ſunt, pro compertis habet, atque exploratis. Haec refellenda ſunt, ac removenda, quatenus quidem ratione progredi tuto licet. Tum vero, ubi haec ceſſat, noſtra quoque contentio finem habebit.

§. II.

Inepti hac in re ſaporis indicium.

At ne illi de judicii ſui ſanitate nimium ſecuri primo nos impetu obruant, dandum eſt eis indicium, quo intelligant, aliis quoque in re-

Digitized by Google

bus, in quibus ſibi certa habere omnia videntur, non niſi perſuaſionibus ſe duci, & ab errore, ac ineptia non procul abeſſe. Nonne enim iidem, qui Catullum, quia Ovidio diſſimilem, aſpernantur, Tibullo quoque, ac Propertio, quorum extra controverſiam eſt praeſtantia, eandem ob cauſam iniquiores ferme ſunt? cum enim hos vident pentametrorum clauſulas polyſyllabas nihil vereri; ſaepe negligere illa, in quibus lautior videri Ovidius ſatagit; nec perinde in illis, ut in hoc, èminere ingenium; imo in Propertio etiam ſenſum per plures verſus duci, ac continuari: ſtatim eosdem ut impolitos, & inficetos cum nauſea abiiciunt. At uti hic illi deſipiunt, eorumque de Poëtis his geminis judicium non niſi meris opinationibus ſuſtinetur, quod mox legitimis teſtimoniis planum fiet: quis eos non ſentiat ſic item in Catullo quoque alucinari potuiſſe? Equidem, quae in Tibullo, ac Propertio reprehendunt iſti, ea etiam liberius Catullus uſurpat. Sed ſi recte id judicatur adiaphorum, ac nullo in vitio habendum, quod duo elegiaci carminis Principes paſſim jure ſuo, ac

ſine ullo verecundiae indicio ſibi ſumſerunt, plus, minusve Catullus id fecerit, vix jam magnopere intereſt. Ad illud itaque venio, quod maxime negant Naſoniani; negant autem acerrime, Tibullum, ac Propertium ad Naſonis in carmine elegiaco laudem aſpirare poſſe, eam ipſam ob cauſam, quod duriores, & minus culti, atque ingenioſi, id eſt, quod Ovidii diſſimiles ſint: neque id eis facile erui poterit. Quo quidem ipſo fanaticam declarant opinionem, dum eam ob rem longe inferiores Ovidio ponunt illos, quos olim Romanorum doctiſſimi huic ipſi, ex quo omnia penſant, adeo antetulerunt, ut eos ſolos de principatu inter ſeſe contendere judicarent poſſe: niſi quidem nos rectius exiſtimare de lingua aliena, quam illi de ſua, queamus. Videlicet eorum pigmentorum, quae hodie adeo miramur, vix ulla apud veteres ratio fuit: alias contra venuſtates, quae nos ferme praetereunt, illi accuratius penſitarunt. Hem ſatis luculentum de veterum pervulgata olim ſententia teſtimonium Fabii Inſt. Orat. L. X.; C. 1. nam poſterioris aevi Docto-

rum Virorum de Catullo, Tibullo, Propertioque judicia apud Morhofium, Funccium, Stollium, & alios jam conquiſita cuique in promtu ſunt. Sic autem Fabius: *Elegia Graecos quoque provocamus: cujus mihi terſus, atque elegans maxime videtur auctor Tibullus. Sunt, qui Propertium malint. Ovidius utroque laſcivior: ſicut durior Calvus.* Quod quidem Quinctiliani judicium tum quoque percrebuiſſe memineris, cum jam ſua Romani prae Graecis amare caeperant. Atqui vel tum quoque tertius demum Naſo? Non equidem auctoritatibus magnopere moveor, quas neque plane aſpernor: ſed adverſus eos hic diſputo, qui iis vel plurimum tribuunt, & plerumque caeco quodam numine amant agi. Quorum ad primos ſuſtinendos impetus hujusmodi praeſidium objici poteſt, tametſi haud inſtar Palladii vel ipſe id verear, imo & hic quoque facilius Rolando Mareſio (quanquam & ille religioſius paene loquitur) aſſentirer, cum ad hunc Fabii locum reſpiciens ait l. 2. ep. 6: „Durum mihi quidem eſt ab acris judicii critico (Quintiliano) diſcedere, qui Tibullum

„ videtur praeferre. Sed tamen in iis me eſſe „ fateor, qui Propertium malint. Quamvis „ enim Tibullus ſit mire jucundus, & elegans, „ latinaeque proprietatis amantior, quam alter, „ qui ſaepe graeciſſat, & in carmine exactior, „ & rotundior: tamen Propertius illum erudi- „ tione, & ingenii ſuavitate videtur ſuperare, „ blandus omnino, & lenis in affectibus, in „ quibus etiam exprimendis non nunquam ca- „ lidus amator, & amore deperditus vehemen- „ tior fuit. „ Hem quam multa ſubactioris judicii viri inveniant in hoc utroque, quem vulgus paene contemnit, Poeta mirifice aeſti- manda, cum Naſoniani praeter lumina ſenten- tiarum ferme nil aliud quidquam aucupentur. Sed priores illos Ovidio habendos eſſe non con- tendo, neque omnino aſſentiri nos etiam Quinctiliano neceſſe eſt. Illud tamen inde in- telligitur, pares ſaltem, & aequales videri. Atque id vel eorum inter ſe comparatione, ubi easdem quisque materias tractant, facile effici poſſet, ſi modo non ſola maxime ingenii uber- tate, ut productis aliquot locis paribus Maſſe-

Digitized by Google

nius fecit, ſed amoenitate, mollitie, ceterisque dotibus eorum decora perpendantur. Addam his exempla duo alia ejus generis. Caci latronis caedem deſcripſit & Ovidius Faſt. L. 1, & Propertius Lib. IV, El. X; praeſtare autem puto Ovidium. Ejusdem pariter argumenti ſunt & elegia Propertii lib. II. viceſima ſecunda, & Ovidiana lib. II. Amorum quarta: ubi ita excellit Umber, ut palmam ei prae Naſone adjudicandam eſſe non dubitem, nec dubitarint etiam quidam adverſariorum, cum tecto nomine legerentur. Jam vero auctoritate agendum ſi eſt, equidem tum viri poſterioris etiam aetatis doctiſſimi quique, & in judicando acerrimi, tum Poetae celeberrimi ſi non primas ad hos duo detulerunt, at inter principes certe eosdem numerarunt. Quod qui neſciat, nae is in cognoſcendis litteratorum judiciis parum diligens fuerit, neceſſe eſt: quanquam vel oſcitantem etiam, atque aliud agentem, ſi modo eruditorum libros per otium evolverit, praeterire iſta vix potuerunt. Duo tantum nominatim laudandi ſunt, qui horum Poetarum inter ſeſe ex in-

ſtituto contulerunt imagines, Ant. Muretus Lib. II. ep. 12, & Liv. MayerusCarminum Lib. IV, el. I. Atque inde jam magis, magisque elucet, publicum illum ſaporem eorum, qui ſe Ovidianos eſſe volunt, eum etiam a Naſone abſint quam longiſſime, meris praejudiciis, ac perſuaſionibus inveteraſſe, quae cum animos impleviſſent, ita etiam ſenſus hebetarunt, ut in elegantiſſimis Poetis amoenitates quidem ferme omnes inobſervatas praetermitterent; ad ſalebras autem quasdam, quas pertimeſcere ſolum didicerant, offenſi adhaereſcerent. Nihil igitur hoc guſtu expendendum, nihil exiſtimandum eſt: nec proinde de Catullo etiam eidem recte creditur.

§. III.

Sola Naſonis obſervatio nihil efficit.

Sed hic mirabimur, qui tam alienus a doctorum ſententiis ſapor adeo inoleſcere, ac propagari tam late potuerit. Niſi me fallit opinio, hujus quidem rei origo ineptis praeceptionum

elegiacarum Conditoribus eſt aſſignanda. Iſti enim, cum de poeſeos univerſae natura nihil ſatis conſtitutum haberent, obiter imbuti quibusdam initiis ad legendum acceſſerunt. Legerunt autem ſolum ferme duntaxat Ovidium, qui adoleſcentibus & multum, & ſtatim placere ſolet. Ceteros vix illi attigerunt, aut certe, quia unum omnibus ſuperiorem rebantur Ovidium, praejudicatas jam ſententias attulerant. Hi igitur cum neque judicio multum valerent, neq̃ue acriter eo uterentur, omniaque mirarentur: in exilia ſcilicet, cujusmodi res his ingeniis aptiores eſſe ſolent, potiſſimum inciderunt. Ab horum deinde obſervatione ſtatim illi ſine ulla diſceptatione rationis, ac judicii ad leges ferendas progreſſi ſunt; etſi nec Poetas guſtaſſent ceteros, nec aequiorem in eos animum accepiſſent. Itaque cum ea, quae erant ſaltem incerta, pro compertis haberent, mirum non erat Catullum cum ſuis aequalibus cauſa cadere. Praeterea tam erant ſuperſtitioſi, ut, quod Ovidius non feciſſet, quodque vix ferebat ejus natura, id in aliis ducerent vitioſum.

Inde variae ſanctiones obſcuri fere nominis Praeceptorum: quibus refragari demum ne doctiores quidem ſunt auſi. Quidquid rarius Naſo fecerat, inconſulta prorſus ratione redigebatur in legem, ut id ne fieret. Itaque ſollicite cavebant, ne polyſyllabon in fine pentametri eſſet, multoque etiam diligentius, neu quis ſententiam ultra eum limitem traheret. At neque Ovidianus mos nobis eſt Minervae calculus, neque in iſtis operarum elegiacarum ſcitis quidquam ſanum, ac praejudiciis vacuum invenias. Quodſi ad nos ſolae perveniſſent Naſonis Metamorphoſes, omniaque eſſent deperdita Virgilii carmina: equidem vix dubito, futuros fuiſſe, qui ſtatuerent, in hexâmetro etiam carmine laudi eſſe, ſenſum ubique intercidere, ac diſtinguere cum verſu; raro autem fas eſſe illum in morem periodi per plura hexametra circumducere. Sed nempe uni obſervationi obſiſtit altera, Ovidianae Propertiana, & aliorum. Cumque videamus, omnibus bene ceſſiſſe, quod ſuo genio uſi tentaverant, intelligimus profecto ea, in quibus praeſtantiſſimi artifices variant, nihil

ad rei ſummam referre. Aliud de iis ſtatuam, qui ob aetatis, aut tirocinii imbecillitatem necdum recte uti ſuo ingenio poſſunt; hi enim per imitationes tantiſper varias traducendi ſunt, ut & quae craſſiora erant in indole, elimentur, & quae tempeſtiva, ad optimam ſpeciem efformentur. Sed non ea propter ſupervacaneis terroribus ſunt dementandi, ut auctorum quempiam abhorrere diſcant; cum ſenſim ſine calumnia eis Poetarum diſcrimina poſſint indicari. Torſit ea res ſaepe Ovidianos Praeceptores, illos maxime, qui non ſolum Ovidium, ſed & aequales ejus a Doctis commendari multum audiverant. Itaque cum tam diverſos ſtylos conciliare inter ſe non poſſent, varias excogitarunt eos purgandi rationes, variaſque addiderunt circumſcriptiones, ne illam penitus animo repoſtam harmonicae venuſtatis opinionem extorqueri ſibi hac occurſatione paterentur. At cum illa perpetuo tanquam ultima in fundo reſideret religio, nusquam congruere res poterant. Plerique indulgentes ſibi videbantur, ſi *aliquando & raro*, *energiae*, vel, ut illi ajunt, *expreſ-*

Google

ſionis cauſa *pudenter* uti pentametro in polyſyllabam deſinente permitterent, & duritiem dicerent elegantiae ſe condonare. At quid hoc eſt? errorem compenſari virtute iſti patiuntur? quaſi vero non foret ſatius vitare vitium, & energiam tamen retinere, cum fieri plerumque id poſſit? Igitur in anteceſſum iſti dant veniam, quae dari poſt culpam primum ſolet? Cum dormierit Homerus, ad virtutes ejus ceteras reſpicimus, & jam, vel invito Flacco, ignoſcimus: At Albino, priusquam erraret, indulgere Cato non potuit. (*) Certe vero quanto ſolutius, atque etiam convenientius foret, praeciſe negare, in his vitium ineſſe, quam vitium fateri, & in eo purgando laborare! Negent igitur, cum energia ſubeſt, & belle in rem cadit polyſyllabon, vitio dari poſſe, cum ſit in ornamentis potius habendum. Rectius quidem. Sed ne proinde dicant, energiae aliquid condonari, dentque aliquando, verba ipſa polyſyllaba plane adiaphora, nec per ſe, ubi ubi ſint, dura, aut ſcabra, ſed ad quidvis perinde apta eſſe; fieri

(*) Vide A. Gell. N. Att. II, 8.

autem deteriora extrinſecus aut inopia quadam congruentium verborum, aut inexpleti ſermonis exilitate, aut moleſta contortione. Alioqui ſi ad energiam duntaxat omnia referant, quem exitum habebunt, cum in ipſo Ovidio ſint loci quidam rariores ejus generis, ubi nulla omnino ſubeſt energia? in Propertio autem, ac Tibullo paſſim multo plures, nec minus in iis, qui poſt renatas litteras ſcripſerunt, Poetis frequentes, ubi fruſtra energiam quaeſierimus. Quid tum? dicent: ſcilicet dormitaſſe hos Poetas: quos ſatis apparet, ſi voluiſſent modo, minima tamen opera vitare id potuiſſe? Cur autem ita ſe torquent, ut laborent excuſare etiam, quod vident ſtudioſe factum? niſi ne fateri ſcilicet cogantur, ſuas de duritate, mollicie, ac facilitate verſuum perſuaſiones temere ſuſceptas eſſe. Adhaec cum videamus aliquando etiam ſine energia tamen belle ſuccedere ejusmodi exitus pentametrorum; alias vero id ſine aurium offenſione, ac faſtidio fieri vix poſſe: nonne intelligimus, ineptos obſervatores eſſe, qui amoenitatem, aut contra duritiem tam anxie deſcripto numero dimetian-

tur plurium ſemper ad finem pentametri vocum; aut ſi polyſyllabas ferant, tamen ejusmodi circumſcribant conditionibus, quibus optimi quique auctores conſtringi non potuerunt: ut adeo liqueat, nihil eos adhuc inveniſſe, quo veram duritatis ac genuinam complecterentur cauſam, quae nunquam fallat. Eo ipſo autem patet, adiaphorum per ſe eſſe verborum ſive monoſyllaborum, ſive polyſyllaborum uſum, dum ad curſum modo ſermonis ſint aptiora.

§. IV.

Ratio Naſonianos non tuetur.

Jam vero ſi ratione res diſceptanda ſit, faciam id quidem libenter, eumque tenebo modum, ut primum quidem adverſarios audiam controverſantes: deinde ut eorum momenta expendam, ac ratione item refellam: ac denique ut afferam ea, quae pro Catullo facere videantur. Objiciunt igitur Naſoniani Poetae noſtro, ut paucis complectar omnia, carminum duritatem.

Digitized by Google

Abſurdum, exlegem, horridulum, incultum in ſuis maxime pentametris videri. Si hoc ipſum velim aliqua ratione mihi confirmari, equidem vix aliquid certius comperire poſſim. Hae enim notiones ex obſervatione ab iis ſumtae ſunt; in quibus ipſis offendi eos parum ſibi conſtare. Amplius quod dicant, vix habent. Igitnr negante me, nec illis porro confirmantibus, facile evaderet Catullus. Sed agam diligentius, certasque rationis aperiam vias, quibus planum fiat, quae in Catullo dura dicuntur, eſſe a duritate longe aliena. In veriorem igitur, ac genuinam magis cauſam indagemus. Duritatem in carmine reor exiſtere, utique ex difficili etiam pronunciatione, ſed, ut ſimul dicam, potiſſimum ex omni eo, quidquid difficiliorem habet ſenſuum, aut animi perceptionem. Non ſum neſcius, ejusdem vocis aliquando latius patere ſignificatum, cum a non nullis dura dicantur, quaecunque non ſunt ſuis partibus, ac numeris abſoluta, & ideo aut exilia, aut hiulca, aut manca, aut gracilenta, ac jejuna. Sed hi nihil intercedunt nobis, cum ſa-

Digitized by Google

teantur, tranſlate tantum haec ab ſe dura dici; quia difficulter poſſint excuſari; aut alio reſpectu hujusmodi: quia quae judicium offendunt, plerumque & animo ſiunt ingrata. Jam vero ſi *dura* ſint illa, quae moleſtam, impeditam, difficilemque habent ſive animi, ſive aurium perceptionem, neque in carminis elegiaci natura, neque in ipſis vocibus, neque in audiendi ſenſu quidquam poſitum video, cur pentametra Catulliana difficilliorem aut ingratam habeant perceptionem. Natura enim elegiae, praeterquam quod ad ſenſus referri debeat, certam in primis pedum requirit menſuram. An eam vero magis implent monoſyllaba, ac diſſyllaba, quam polyſyllaba? Cetera neque ita exacta, neque huc magnopere referunt, niſi ut intelligamus, ſimplicitatem quandam, teneritudinem, mollitiem, ac facilitatem in elegiis ſequendam eſſe, cum illis res mediocres potiſſimum, ac tenuiores ſint propoſitae. At haec omnia rebus potius, atque animi affectionibus, quam longitudine, ac brevitate vocum effici, ac perpendi debere, & has illis perinde, ut in

in ſoluta oratione promiſcue ad quidvis inſervire poſſe, ſatis in aperto eſt. Quod attinet ad facilitatem, quis negabit, idem flumen ſermonis, eandemque percipiendi commoditatem inveniri, ſive Propertius dicat Lib. II, El. XXIX:

Obſtupui, non illa mihi formoſior unquam
Viſa, nec oſtrina cum fuit in tunica.

Sive alius hoc diſtichon ad Ovidii morem accommodans, dicat:

Obſtupui; non illa mihi formoſior unquam,
Nec, licet in Tyrio murice, viſa fuit.

Sed Ovidianas. ajunt, elegias plus habere facilitatis conſtanter judicatum eſt: cum e contrario longius procurrentem Catullum eo ipſo neceſſe ſit difficilius aſſequi. Dabo id quidem, faciliorem videri Ovidium, quia diſtinctus ut plurimum, brevibus membris rem abſolvit, ut in proſa Seneca; an autem re ipſa planior ſit, dictu difficile eſt; quin multa percepta re vera non ſint, quae ſtatim videntur percepta eſſe: quod in Ovidio mihi ſaepe uſu venire memini. Eſto vero, ut putant. At non ideo periodi durae, ac difficiles ſunt habendae; ſecus & Cicero Annaeo

erit deterior. Intelligitur proin, impeditiorem perceptionem non habere Catulliana pentametra, imo potius ſolutiorem; cum proſae, & ſermoni quotidiano, ſi pedes demas, ſint propiora. Videndum igitur, ſitne magis ingrata ſenſibus eorum perceptio. Id vero etſi aurium judicio maxime exiſtimatur, tamen debet in verbis ipſis ineſſe aliquid, cur aures aliter, atque aliter afficiantur. Atque iſtud in re tam nota, ac diſtincta profecto debet perſpici poſſe. Jam vero cum polyſyllabae voces initio pentametri non dedeceant, imo ne in exitu quidem, ſi certus modo ſit poſitus: non video, quid ſit in ipſis vocibus, cur offendant. Si Propertius dicat: l. III, el. 13l: *Quaeque terunt faſtus, Icarioti, tuos*: probant. Siquis vero in pentametri ſine dicat: *Luctantem fluctibus Icariis*; reprehendent. Cur autem? aut quid intereſt in vocibus? nihil paene. In poſitu igitur. At enim cur vel poſitus etiam offendat, ſi modo abſint cetera, quae ſermonem abſonum, mancum, & parum numeroſum reddunt? Aut cur hic poſitus diſpliceat, cum alius non multum

diſſimilis placeat; cumque ejus ratio vix haberi ſoleat in aliis carminum generibus? Quae demum auribus voluptas affertur ultimo dactylo per duas voces disjuncto? Certe vero eosdem exitus variis, ac plane diverſis rebus exprimendis perinde aptos videmus, ut cum Liv. Meyerus lib. IV, el. I ſcribit:

Non ſemper placido labuntur flumina tractu:
Saepe ſtrepunt raucis turbida vorticibus.

egregie aſperitatem rei verſus ſubſequitur. At idem eſt poſitus, cum ad mollitiem Propertius Lib. I, el. XI hoc diſtichon fecit:

Quam vacet alterius blandos audire ſuſurros
Molliter in tacito littore compoſitam.

Ut alia praeteream exempla, in quibus plures varietates cognoſci poſſent. Cum igitur quaquaverſum etiam poſitus valeat, & ſcilicet hic quoque adiaphorus ſi, profecto praeter inveteratam quandam perſuaſionem, aut, ut multum, praeter conſuetudinem aut temporis, aut provinciae cujusdam nihil invenio aliud, cur gratiora auribus eſſe debeant pentametra in duas voces diſſolutis, quam junctis, ac continuis ul-

timis dactylis : nec puto quiſquam alius inveniet quiddam in illis lautius, ac delicatius, quam in iſtis : alioquin ediſſeri aliquando poſſet, ſiquid eſſet. Venio igitur ad aures ipſas. Aures, aiunt, nihil habent, quo delectentur hoc genere, & maxime cum ſententia latius evagante demum contra exſpectationem res cadit. Fateor, ut nunc res ſunt : ſed vitium temporis id eſſe, aut locorum poteſt, cum imbuti ad unum Naſonis ingenium plerique ſunt : idque non ita multa lectione facile deponeretur. Tum vero etiam aures aliter judicabunt, atque eis fortaſſis Ovidianus ille delectus artem, ac diligentiam ſapere videbitur, perpetuaque illa deſinendi ſimilitudo, ac ſenſiculorum anguſtiae faſtidium afferent. Ac vel inde, quod haec nunquam antea movere nos poterant, intelligemus, eſſe aliquid, quod etiam aures poſſint verbis addere. Non habemus jam tam elegantes aures, atque olim veteres, cum horum & pronuntiationem, & cantum, ſive accentum ferme omnem amiſerimus. Exempla autem, quae ſuperant, diverſi cum ſint generis, monſtrant et ipſa, ni-

hil olim ad aurium delectationem magnopere interfuiſſe, quot ſyllabas vox ultima complecteretur. Multum etiam juris in res iſtas eſt tempori; ut, ſi vel res adiaphorae, ac mediae ſint ipſae, tamen deligentium voluntates poſſint res quasdam facere deteriores, quam prius habebantur. Ita horridior illa vetus Muſa, cum *coeruleu'eſt* impune dicebatur, & alia ſcabra, ac inculta aurea demum aetate enovata, ac perpolita ſunt; nec citra tamen luculentam rationem. At in Pentametra Catulliana nihil tum aliter conſultum, cum eadem, qua Naſo vixit, tempeſtate Propertius antiquum inſtitutum proſecutus, poſt obitum, ut ipſe ſibi praecinuit, apud poſteros majus etiam nomen ſit adeptus (*). Noſtrae vero aetati nihil jam in veteres licet, neque efficere poſſimus, ut, quae tum rata erant, noſtris voluntatibus fiant deteriora. Sed tanto praeſtabimus, quanto ad eos propius acceſſerimus. Hodie ut ſunt res, ſi aures modo aequo animo conſulamus, quid certiore ſenſu judicent, profecto nihil niſi meram indicabunt adia-

(*) Vide Plin. Lib. IX. epiſt. 22.

phoriam. Illa vero oblectatio etiam nunc ab voluntate, ac deinde pronuntiatione noſtra pendet, ut jam polyſyllabis pentametri vocibus tantundem, ac diſſyllabis mollitiei, ac ſuavitatis impetire quadam vocis inclinatione poſſimus. Legamus aliquoties, quae amoeniora ſunt Propertii, & auſim ſponſionem facere, cum videbimus, res illum molliſſimas ejusmodi polyſyllabis efferre, aures cum rerum mollitie etiam vocem polyſyllabam, ac ſonum conjuncturas, pronunciationemque ipſam flexu quodam, ac quaſi cantu lenituras. Jam vero nec nos rationes relinquunt, quibus Catullianus hic ſapor non purgetur modo, ac abſolvatur, verum etiam approbetur: quarum haec ſit prior: nativae libertatis videtur eſſe, quoad fert naturae, & animi impetus, continenti ſermone provehi, nec magis pentametri limite, quam Lyrici Poetae ſtrophae exitu ſolent, coerceri: hoc enim cum in ceteris carminum etiam tenerorum generibus non obſervetur: nihil eſſe video, cur tales religiones ſuſcipere elegia debeat. Nec minus altera ratio habet ponderis:

cum amplius nos delectent, quae magis ſunt varia, ac proinde minus animi ſenſu praecipiuntur; cumque multa polyſyllabae vocis poſitu, qui per ſe adiaphorus utentis modo dexteritatem exſpectat, venuſte, amoeneque efferri poſſe Tibullus, ac Propertius monſtraverint, quae alioqui fuiſſent pratermittenda; cum denique harmonicae illius venuſtatis, quam perſentiſcere ſibi videntur Naſoniani, ipſis fatentibus, poſtrema ſit cura, ſi ea cum ceteris rebus elegiae propriis comparetur: cedat haec igitur oportet tot belliſſimis rerum imaginibus, quas polyſyllabae tot voces pro opportunitate poſſunt referre, alias plane interituris. Siqua etiam foret Ovidianae illius caſtimoniae jactura, ea vel ſola variationis, ac libertatis gratia ſatis compenſata videretur. Ac ſiquid etiam aliarum elegantiarum, quae in Ovidio nobis placent, Catullus praetermiſit: id omne praeſtatur aliis elegantiis, perinde ut in linguis aliarum vocum major inopua majore aliarum facultate exaequatur. Haec pro Catulliano ſapore dici probabiliter poſſe exiſtimo, quae ſiquis urgere accurratius velit, nae is ab animi mei

ſententia longe aberraverit: namque ut omnibus in rebus litterariis, ita in ſtylo quoque elegiaco nihil libertate antiquius habeo, nihil ſic horreo, ut neceſſitatem: qua neque ratio quidem nos ita poteſt conſtringere, ut exitum libera indoles non inveniat, evadatque eo, quo ratio ſequi non niſi ſero, & fortaſſis nunquam poteſt.

§. V.

Graecorum exemplis ſapor Catullianus defenditur.

Multo igitur magis Graecorum exemplo moveor, quorum in elegiaco cermine felicitatem, ac ſummam illam praeſtantiam, doctorum hominum judicio, nunquam aſſecuti ſunt Romani, ut apud A. Gellium Lib. XXI, c. 9 id eis dudum objectarunt Graeci; neque ſatis refellere illos videntur ea, quae Romanus homo ibi in medium producit ſuorum fragmenta. Scabrities veteris Muſae Romanae in eis videtur offendiſſe verſorem Germanicum Odarum Anacreontis, qui in notis ſuis illa parum probat. Multo etiam acrius, quamquam alio no-

mine, Scaliger ea perſtrinxit, qui Romanis exprobrat, eadem ipſa, quae Antonius Julianus ibi ſpeciminis cauſa attulerat, ad verbum a Graecis ſumta eſſe; uti ad eum locum teſtatur Commentator Regius Pariſinus. Nec diffitentur id ipſi Poetae Latini, tum Ovidius, qui paſſim in ſuis libris amatoriis (*) Callimachum commendat; tum Propertius, qui, ubi aliquid nobilius molitur, Callimachum, aut Philetam ſe imitaturum pollicetur, uti lib. III, el. I:

Callimachi manes, & coi ſacra Philetae
In veſtrum, quaeſo, me ſinite ire nemus.

Philetae quidem, praeter fragmenta quaedam, omnia interierunt. Nec Callimachi omnium Elegiacorum Principis ſuperſunt plures, praeter elegiam unam Graecam, alteram Latinam a Catullo ſatis accurate, ut ex fragmentis colligimus, e Graeco ſermone converſam. Neque ad eam perfectionem aſpirare Romani unquam potuerunt. Catullum tamen, & Calvum excepere Graeci illi in citato A. Gellii loco. Unde

(*) L. I. Am. el. XV. it. L. III. de A. A. & it. L. II. de Rem.

nec injuria feliciſſimus ipſemet Poeta, ſatisque Ovidianus, Heinſius in Praefatione ad Monobiblon ſuam dicere eſt auſus de Graecorum, quos ibi imitatur, elegiis: *Quae felicitate ſua, & motuum celeritate, feſtivitate denique & licentia Romanos terrere ſolent.* At enim Graecis, quorum plebs ipſa tam teretes, & faſtidioſas habebat aures, *nihil ut poſſent niſi incorruptum audire, & elegans*, quemadmodum Cicero in Bruto, tum & alibi ſaepe demonſtrat, in mentem tamen haud venerat in illis tam anguſtis clauſulis, quas aurium cauſa tam ſollicite quidam hodie captant, delicias, ac mollitiem quaerere. Quod prolato duntaxat Callimachi exordio Hymni quinti, qui eſt de Lavacro Palladis, planum fiet. Utar autem interpretatione Nicodemi Friſchlini, qua verbum verbo redditur, quo commodius omnia perſpici queant, eandemque ob cauſam hanc cuilibet verſui ſubſcribam (*):

(*) Confer, ſi placet, Verſiones elegiacas Ang. Politiani, & Raym. Cunichii, qui & ſenſum verbis, & numerum Graecum imitatione reddere curatius ſtuduerunt.

Οσσαι λωτροχοοι τας Παλλαδος,
Quotquot lotrices Palladis *adeſtis*,
εξιτε πασαι,
exite omnes,
Εξιτε. ταν ἱππων αρτι φρυασσομεναν
Exite: equas modo hinnientes
Ταν ἱεραν εσακουσα, και ἁ θεος ευτυκος
Sacras *illas* audivi, & Dea in promtu
ερπει.
incedit.
Σουσθε νυν ωξανθαι, σουσθε
Properate O flavae, properate
Πελασγιαδες.
Pelaſgides.
Ου ποκ' Αθηναια μεγαλους απενιψατο
Nunquam Minerva magnos abluit
παχεις,
lacertos,
Πριν κονιν ἱππειαν εξελασαι
Priusquam pulverem equarum abſterſerit
λαγονων.
iliis:

Ουδ' ὁκα δη λυθρῳ πεπαγαγμενα παντα
Ne quidem cum cruore defoedata omnia
φερoισα
ferens
Τευχεα, των αδικων ηνθ' απο
Arma, injuſtis venit a
γηνεγεων.
terrigenis :
Αμα πολυ πρατισον ὑφ' ἁρματος αυχενας
Sed longe ante a curru cervicibus
ἱππων
equorum
Αυσαμενα, παγαις εκλυσεν Ωκεανω
Solutis undis abluit Oceani
Ἱδρω, και ῥαθαμιγγας. εφοισασεν
Sudorem, & guttas: purgavitque
δεπαγεντα
concretam
Παντα χαλινυφαγων αφρον απο
Omnem frenatorum ſpumam ab
ςοματων.
ore *equorum.*

Sic Elegicorum Princeps, ne plures neceſſe ſit attexere. Sed vel iſta reor fidem poſſe facere, cetera quoque omnia eodem colore eſſe, quando talem Poetam non a ſe ipſo poſſe deſciſcere, omnes intelligunt. Neque hic alterum ejus carmen de Berenices Coma, latine a Catullo redditum, commemorare attinet, quando id nulli non vacat inſpicere. Theognidis Gnomae carmine elegiaco in manibus ſunt & ipſae. Simonidis item Funebrium Scriptoris fragmentum exſtat apud Stobaeum Lib. de Brevitate Vitae, latine redditum a Georgio Buchanano. Et quidquid demum Graecarum elegiarum ſupereſt, reperiemus, etſi rarius quidam utantur periodis, ſed membratim potiſſimum ſcribant, nusquam tamen dubitaſſe voces quaslibet promiſcue in undenum pedem rejicere, neque pentametri clauſtris ſententiam continendam, ac conſtringendam putaſſe. Non ab re eſt hoc loco penſitare illorum ineptiam, qui non contenti ſua ſuperſtitione, alios etiam, quos erudiunt, aequiores fieri cavent, &, ut exempla ſuis praeceptionibus adverſantia extenuent, *Licentiae* nomine ſuum erro-

rem tegunt : imo id verbi etiam emunctioris naſi hominibus impingere non dubitant. Nec miretur quisquam , me plus , quam ſatis videtur , rem iſtam perſequi : nam illud identidem cogitandum eſt , contra quos homines hic dicam , quam opinioſos , & quod ſequitur : cujusmodi in vulgo plerique. His iſthoc praeſertim tempore , cum perſuaſio paſſim inolita , atque inveterata eſt , exuri , quod infedit , niſi ferro , & igne vix poteſt. Graeci igitur eis probe inculcandi ſunt , qui , ſi haec *licentia* habenda eſt , nimium profecto illa abuſi ſunt. Graeci autem nimium ? Sane aliud ſibi vult felix Graecorum *licentia* , quam quod a vitio nonniſi indulgentia debeat excuſare. Dicent forte , duobus pentametri verbis ultimis plures notiones includi poſſe , quam uno , idque Graecos poſſe , quia compoſitis haec lingua abundat ; non item Latinos. Dicam his ipſius Ovidii ore Lib. II. Remediorum : *Luditis , O ſiquos potuerunt iſta movere* , enimvero cum ſcribit Callimachus : *σουςθε πελασγιαδες* , & *εκλυσιν Ωκεανω* , &c , & alias paſſim , nihil hic componitur.

§. VI.

Nec idem recuſat Latina Lingua.

Sed quoniam non niſi conjectura quadam hujusmodi diverſitatem arguunt adverſarii, eoque ipſo intelligitur, rem eſſe obſcuram: operae pretium videtur, hanc quoque accuratius excutere, ac diſceptare. Equidem Graeci tum vocabulorum copia, tum compoſitionis facultate, & opportunitate *participiorum* multum Romanis praeſtant. Quid vero iſtud huc referat, ut Romani debeant aliud genus ſibi quaerere; ut ſententiam non poſſint ultra pentametrum proferre, ut polyſyllabas voces neceſſe habeant vitare, id profecto non intelligo. Nam etſi *participii* nexu duae ſententiae in unam poſſint coagmentari; tamen & illi, ſi Ovidianas aures In conſilium adhibemus, ſuos fines, id eſt, Pentametri unius, aut, ut ſummum, alterius, non licet egredi, quantumvis curſum ſermonis longius naturalis impetus facile proveheret. Sic Gottſchedus, ut eſt popularium opinationum

compilator, cum hoc ipſum ſanxiſſet in ſua Poeſi Critica, Joannem Frankenum perſtringit, quod more a Naſonianis noſtris alieno ſenſum ultra alterum pentametron emanare ſit paſſus: tametſi naturalis & rei, & linguae curſus ita fieri poſtularet: quod Gottſchedus negare non potuit. Cur igitur vituperat? Nihil erat: ſed lex Naſoniana tantum perfracta fuerat. Hinc emendat, & conſtringendo contortius facit, quod erat in Frankeno ſolutum, ac nativum. Videmus igitur non ad linguae facultatem haec referri, ſed ad perſuaſiones, ac voluntates. Nam certe cum in quibusdam *participiis* Graecis pares ſimus, quis tamen ex Ovidianis ferret, ſenſum pentametri, aliquo *participio*, ſequentis hexametri initio connecti, & ibi deſinere? Cetera, quae apud Graecos ſunt diverſa, multo minus huc pertinent, ſed eo duntaxat, ut Latini ob ſuae linguae majorem inopiam id, quod in Graecis eſt perfectum, & abundans, & varium, & cum elegantia maxime nativum, non perinde penitus aſſequantur, & quadam quaſi proportione in his omnibus ſint inferiores;

res; quia linguam ab iis minus ad hanc artem etiamnum excultam habemus: ſicut eandem ob cauſam Anacreontem, ac Theocritum vix latina ulla interpretatio poteſt exaequare. Atque illi ne eloquentiae quidem facultatibus comparari cum Graecis potuiſſent, niſi iſtos imitatus Cicero, ſed in primis in copioſo genere Iſocratem, Demoſthenem ferme in ceteris, *conſuetudinem ſimiliter loquendi*, ut ait ipſe (*), in ſuam linguam traduxiſſet, eamque in omni forenſi genere plurimum locupletaſſet. Sed non multo poſt Ciceronem alius jam ſapor invaluit, non ille Graecus, ſed Romanus, ac demum Hiſpanicus, cum *turbo Cordubenſis*, ut Desbillonius loquitur (**), in urbem irrupit. Idem paene elegiaci carminis fatum fuit. Catullus plane ad Graecos ſe contulerat: Propertius ferme in primo tantum libro, ut Heinſio l. c. viſum eſt. *In reliquis vero libris*, inquit ille, *ſaepe a ſe, ſimulque a Graecis degenerat, & retro cedit*. Hanc vero rationem *poſtea coarctarunt cum alii, tum vel ma-*

(*) L. de Cl. Orat. (**) In quadam Praef. lib. Fab.

xime ingenioſus Naſo : qui quamvis ingenii ſui frenos ubique laxet, ne fruſtra declamaſſe videatur ut homo Romanus ; artem conſtringit tamen, legemque, ac aequabilitatem verſuum ſibi praeſcribit, cui ubique fere obtemperat. Sed non ille conſecutis aetatibus prae Catullo, ac Propertio apud Romanos valuit: ut variis ex teſtimoniis ejus temporis Scriptorum ſatis intelligimus. Sic item Ciceronis nomen, quod pauliſper conſederat, iis temporibus eſt renovatum. Non igitur lingua Romana adverſatur Graeco ſapori, ſi ei modo cultus, atque opera afferatur. Et vero cur recuſet illa Catullianas periodos, quae cepit Ciceronianas (*)? Cur diſſyllabas tantum in ultimo pentametri pede voces requirat, cum non magis his ſcateat, quam polyſyllabis? Quid multa? Cur enim dubitemus fieri potuiſſe, quod factum eſſe conſtet? Videmus Catullum id praeſtitiſſe & Propertium, cujus illas ad Graecam plane amoenitatem factas elegias eſſe rear Lib. I, tertiam, undecimam, & viceſimam. Tales item fuiſſe Calvum, & Corn. Gallum, quorum omnia

(*) Vide infra §. VIII aliam ex ipſo Cicerone confirmationem.

amiſimus, veterum teſtimonia indicant, Nam ex duobus, qui ſuperant, Galli verſibus vix petendum eſt teſtimonium; quanquam alter horum in Dionyſii Neſtoris Lexico citatus hujus generis videtur: *Praxitelis manibus viva iterum Niobe.* Porro polyſyllabas in Pentametris non horruit Tibullus, minus multo Propertius, nec Virgilius in Copa ſua. Jam vero recentiores quid memorem? ut Bembum, Vulpium, Broukhuſium &c: inſignes utique Poetas, & cum quovis ferme Ovidianorum comparandos, qui huic ſe Generi, quod in Catullo vituperatur, dare non dubitarunt. Johannes vero Secundus, quem Grotius Gujetto opponere eſt auſus (ut ſit, qui contra alterum Secundum, Lotichium nempe, nominari poſſit) Propertium potiſſimum ſecutus, tum alias, tum Libro praeſertim ſecundo elegiarum, & Lib. I, elegia ſollemni II, plane graeciſſat. Aliquando in lib. epiſtolarum, Ep. III etiam in Catullum videtur incidiſſe. Porro Fracaſtorius, item Carolus Rotius, et Alphonſus Nicolai, & Itali paſſim, Catulliani nempe ſunt, mirificamque prae ſe ferunt mollitiem. Vix tamen

Digitized by Google

olim auſos (Flaminium excipio & recentiores alios) video, niſi in perſimili argumento hunc ſtylum prehendere; tum nempe potiſſimum, cum aut naenia, aut epiſtolium *nuncupatorium* prae manibus erat. Sed ubertatis ingenii videtur eſſe, eandem vim, ac formam ſcribendi ad res plures poſſe transferre. Ita quidem Heinſius, ut erat in Graecis, ac Latinis non verſatus minus, quam volutatus, & utriusque linguae vires, ac facultates perſpecte noverat, promittere non eſt veritus, ſe quoque in hoc genere aliquid novi ab ſe expreſſurum. Idque in ſua Monobiblo ſucceſſu non pigendo praeſtitit. Haec autem exempla conjecturam illam, quae ex linguarum diſcrimine eſt ducta, plane extenuant.

§. VII.

Catullus multis in rebus ſuperior eſt Ovidio.

Sed quoniam Ovidiani nominis nimia eſt auctoritas, vix eſt ſperandum, ut quidquam aequi boni impetrare ab occupatis poſſit Catullus,

niſi aliquando ſingillatim exponamus tum ea, quae in Ovidio multi nimium mirantur, cum ſint vitioſa; tum illa, quae in Catullo prorſus non vident, cum ſint eximia. Ita tandem ad aequitatem deduci res poterunt. Neque enim id ago, ut Naſoni anteferatur Catullus: quod ſi elaborarem, eos inter ſe ex aequo conferrem: ſed quando, quis demum potior ſit, non mea hic refert, nec Ovidium quidquam opus eſt defendere, quem ultro complectuntur ſui: ſuperſedebo hoc ego comparandi labore, aliisque perpendendum relinquam, quid malint. Nihilo ſecius tamen, perſpectis & alterius vitiis, & virtutibus alterius, complura in Catullo animadvertemus, quae cum aut abſint, aut deſint in Ovidio: intelligetur, in multis illum iſto ſuperiorem fuiſſe. De reliquo, uter tota re vincat, ego non quaeſiero. Atque ut paucis rem abſolvam: Limatius de Auctoribus judicium deſidero: ſectae vero cujusquam nemini auctor ſum. Ovidii Naſonis igitur tale fuit ingenium, quale, ut multi volunt, nemini praeterea contigit. Quae nemo alius in re, quaecunque illi

erat objecta, reperiſſet, ille notavit, ac eruit: quae nemo quisquam putaſſet conjuncta, ille ad rem praeſentem adduxit, eaque tam multa, ut nusquam exhauſtus eſſe videatur. Itaque omnibus ejus rebus, ac dictis ſeſe ingerit ingenium, in quo ſubinde argutia quoque, ſed plerumque inventionis maxime felicitas mirifica eſt. Huic vero naturae ſuae ita obtemperavit ille, ut, quemadmodum Seneca Controv. X, lib. II ait, *non ignorarit vitia ſua, ſed amarit.* Exemplo ſit, quod idem tum hoc, tum & altero in loco (*) de illo enarrat: *Rogatus aliquando ab amicis ſuis, ut tolleret tres verſus, invicem petiit, ut ipſe tres exciperet, in quos nihil illis liceret. Aequa lex viſa eſt. Scripſerunt illi, quos tolli vellent, ſecreto, hic, quos tutos eſſe vellet. In utrisque codicillis iidem verſus erant.* Sed enim ingenium ad facetias, ad inventionem, ac notationem rerum, ad copiam, ac facilitatem verborum, ad feſtivitatem denique plurimum valet; ad amoenitatem vero, quae in carmine elegiaco primas fert, perparum. Hei,

(*) Epitom. contr. L. II, Declam. II.

quantum hic removetur! amoenitas enim, quae phantaſiae, perceptionum affectionibus informatae, dos eſt, illas non, ut reperiuntur, demonſtrat; ſed ut iis animi afficiuntur: hoc enim tanto humanius eſt, quanto in ſenſus plus poteſt. Ingenium vero res non niſi obiter nunciat; cito effodit, cito praetervolat: ad alia properat. Hinc quod ſic identidem recurrit, ſubactae intelligentiae hominibus conſuetum fieri incipit, ac moleſtum; cumque nihil eſt in quo haereri poſſit, contemnitur. Hinc vero pleraque ingenii menda promanant. Sunt enim ingenioſi in id proclives, ut, cum abundant, res etiam importunas afferant, aut plures ſaltem, quam naturae ſatis eſt: ab eoque Ovidius ne tum quidem plane abſtinuit, cum jam aetas plurimum deferbuerat; quanquam in elegiis poſterioribus multo eſt parcior; in Faſtorum libris etiam ſimplicior, & amoenior: fortaſſis quia Graecorum lectio ejus ingenium ibi deferuerat, exuberare ne poſſet. Idem gnomarum, & effatorum univerſalium crebritate propemodum ad moleſtiam immodicus, ut non injuria ſcripſerit

Biſciola Hor. Subſec. lib. VI, cap. 12, col. 440 edit. Ingolſt. eum *ſententiis amatoriis orbem impleviſſe*. At hoc indidem eſt, quod fertiliora ingenia notatione rerum magis, quam commentatione delectantur. Nihil autem citius abſolvitur ſententia. Jam vero proinde ejus ingenio minus aptus erat longior ſpiritus orationis: uti Gallorum poſteriore quodam aevo paene plerisque. Nimirum celerrima quaeque ingenia cito arripiunt ea, in quibus eſt aliqua modo vicinitas: qua ratione pendeant, quamque arcte cohaereant, vix curant; neque coagmentandi laborem poſſunt pati. Hinc tum minutim, ac concise, ut incurrunt, reddunt pleraque; in quibus ſaepe conſecutionem deſideres; tum ſynonymis potiſſimum delectantur, cum & brevibus membris conſtent, & facile copulandis. Fidem faciet his non jam vincta, qua facilius indolis mendae occultantur, ſed proſa Ovidii oratio, cujus exceptum quoddam fragmentum exſtat apud Senecam Controv. X, Lib. II: ubi non minus diſſolutum, ac ſubitarium dicendi genus animadvertas, quam in ipſo Seneca, de

quo illud recte aſſentitur Caligulae Imperatori Jac. Pontanus Part. I Attic. Bell. Synt. V, n. I, „ orationem ejus rudi materiae ſimilem „ videri, in qua ſint lapides, & arenae ſine „ calce & caemento. „ Sed vel ipſe jam Seneca hoc in eo notaverat: *Oratio ejus jam tum nihil aliud poterat videri, niſi ſolutum carmen.* Enimvero ſi ad carminis rationem numeroſum illud genus, & diſcretum pertinet, quod facile in pedes, & certam duorum verſuum menſuram, ac vel maxime in quaedam duntaxat membra redigitur. Hodie vero áliter de re poetica ſentiunt (*). Itemque nec illud tacet, *quod ſine certo ordine per locos diſcurrerit* in dicendo, *& moleſta illi omnis fuerit argumentatio.* Aliqua hic apponam: *Quidquid laboris eſt, in hoc eſt, ut uxori virum, & viro uxorem diligere concedas. Neceſſe eſt deinde, jurare permittas, ſi amare permiſeris. Quod habuiſſe nos jusjurandum putas? Tu nobis religioſum nomen fuiſti. Si mentiremur, illa ſibi iratum pa-*

(*) Vide Mich. Conr. Curtii diſſ. de Natura, & vera Conſtitutione Poeſ. §. 4, & 19.

trem invocavit, ego ſocerum. Parce Pater, parce ſocer: peieravimus .... Facilius in amore finem impetres, quam modum. Tum hos ponis terminos, ut nihil faciant, niſi conſiderate; nihil promittant, niſi ut jus facturi; omnia verba ratione, & fide ponderent. Senes ſic amant. Pauca noſti, pater, crimina: & litigavimus aliquando, & caecidimus, & fortaſſe, quod non putas, peieravimus. Quid ad patres pertinet, quid amantes jurent? Si vis credere, nec ad Deos pertinet. Non eſt, quod tibi placeas uxor, tanquam prima peccaveris. Periit aliqua cum viro; periit aliqua pro viro: illas tamen omnis. Aetas honorabit, omne celebrabit ingenium. Sed maxime in ſingulari hoc ingenio res easdem iterandi laſcivia vituperatur; quandoquidem quod bene ceſſit, nusquam porro ſcivit deſerere; quo fit, ut, dum non eſt contentus ſemel rem bene dixiſſe, eo redigatur, ne bene dixerit, ſententiasque ſuas repetendo corrumpat; ut Controv. XXVIII, lib. IV Seneca, & l. c. Biſciola annotarunt. Equidem ſatis ille ſtylum indoli accomodavit, ut credibilis ejus ſermo vi-

deri poſſit, etiam cum maxime eſt artificioſus. Sed ſaepius legentibus cum ſemper eadem obverſentur, fieri vix poteſt, quin faſtidio eſſe tandem incipiant, artemque, ac ſtudium prodant. Perpetuus ille ſimilium pentametrorum caſus, & neſcio cujus munditiae affectatio, ſenſiculorum, aliquando non ſatis cohaerentium, farrago, dimenſioneſque ingenioſae admonent lectorem, ut, antequam audiantur, jam ventura exſpectet; citiusque ſatiatus deinceps fatigetur, cum & aurem, & animum non niſi eadem verbera perſtringant. Notavit eandem in hoc ipſo Ovidio exuberantis ingenii luxuriem praeter Senecam Fabius quoque haud paulo Judex magis Annaeo idoneus; cum Inſt. Orat. L. X, c. 1 ait: *Laſcivus quidem, in heroicis quoque Ovidius, & nimium amator ingenii ſui, laudandus tamen in partibus.* Et iterum idem confirmat judicium, ubi de ejus Tragoedia, quae ad nos quidem haud pervenit, commemorat: *Ovidii Medea*, inquit, *videtur mihi oſtendere, quantum vir iſte praeſtare potuerit, ſi ingenio ſuo temperare, quam indulgere maluiſſet.* Atqui

hoc ipſum, quod iſte in Ovidio virili gravitate reprehendit, alii in eodem admirantur, atque in virtutibus ponunt, quos inter Funccius ita Naſonem omni aliorum vindicta ſuperiorem facit, de Viril. Aet. Ling. Lat. cap. III, §. 42, ut dicere non dubitet: *Sanioribus Criticis* (quaſi quidem Fabius ad inſulſos pertineret?) *tantae ſemper admirationi Ovidius fuit, ut non ingenioſus, ſed ingenium ipſum, non latinus, ſed ipſa Latinitas; non Muſarum Sacerdos, ſed ipſum Muſarum Numen ſit habitus.* At enim ſi vel in ingenio, quidquid intempeſtivum, profuſum, & immodicum eſt, transmittam: ab his tamen omnibus diſcedenti, ne ipſum quidem ingenium usque adeo ut demirer, ſtricturae me illae, quae oculos olim perſtrinxerant, faſcinare in perpetuum potuerunt. Ubi Hippolytum Euripidis perlegi curioſius: tum vero adjuncta illa perſonarum, locorum, temporumque, quae ab Romano homine haud exſpectaram, unde eſſent, caepi agnoſcere, ſicque itidem de aliis fabulis, ſcriptisque Graecorum jam deperditis facilem perinde conjecturam ducere, ſcilicet non ab

ipſomet inventa eſſe, ſed Graecorum e penu hominem abundaſſe: namque & ipſasmet ſententias, quaeque maxime ingenioſe videbantur dicta, inde reperi mutuata, ſed ita, ut in Graeco poemate ſuo loco poſita deceant, & motum animorum juvent, atque in primis ſint nativa; in latinam vero epiſtolam intruſa affectum ſententiarum acumine, arguto loquendi genere, ac coruſcandi conatu ſuffocent; naturam vero vel ipſa varietate intempeſtiva, & parum praeparata ſaepe obtundant. Hem quam multa hoc in ingenio deſiderentur! quod & iis accidet, qui ingenioſe ab eo dicta colligere ſtudebunt; cum ab elegia perinde, atque ab natura longe hoc opificii genus abſit. Unde illud mireris a Morhoſio Polyhiſt. Litt. l. 7, c. 3, §. 9. pronuntiatum: „ Ovidius autem in genio carminis elegiaci exprimendo adeo felix eſt, ut nemo mortalium illum ſuperet. „ Enimvero ſi hunc genium jam abſolvat ingenium, idque ipſum dives ex alieno. Sed enim ſi hoc ipſum potiſſimum quaeratur, quis ſit maxime proprius elegiae genius; jam res hujusmodi non effatis,

ſed momentis decernetur. De Catullo contra, cui in hendecaſyllabis primas, inter elegiacos vero locum hodie non dant, ut eum ne Livinus quidem Mayerus inter triumviros ſuos repoſuerit; multo aliter jam tum veteres ſenſiſſe ex illo Velleii Paterculi teſtimonio intelligas (*): *Quis enim neſcit diremtos gradibus floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, &c.) Auctoresque carminum Varronem, ac Lucretium, neque ullo in ſuſcepti operis ſui carmine minorem Catullum.* Graeci vero de eodem quid ſenſerint, ſupra demonſtravi. (**) Eſt enimvero in Catullo inſignis mollities, docta quaedam negligentia, mira ſimplicitas, ac naturalis candor cum poetico calore conjunctus, qui res ſine artificii ſpecie prorſus, ut cogitantur, libere effundit, nusquam moratur, aut adhaereſcit, ſed ſine impedimentis fertur, & quod caepit, proſequitur, ac continuat, donec perfecerit. Nec niſi rebus ipſis, earumque affinitate movetur, ut ex uno traji-

(*) Lib. II. c. 36.

(**) Vide & Propert. L. II, eleg. XXV. vers. 4. & Ovid. lib. III Amor. Eleg VIII ſub. fin. item Plinium, de quo infra.

ciat in alterum : aut certe, cum novo impetu fertur, novumque exorditur curſum, id fit inſigni motuum varietate, celeritate adjuncta, ut maxime praeter exſpectationem cadant omnia; ſemperque ſibi inſtat novus, & improviſus, etſi in incaepto manſerit : aut cum ſe paulum avertit, tamen convenientiſſime ad propoſitum redit. Ita dum de eadem re multa, & varia, atque ſelecta cumulat, haud dubie vehementius ferit ſenſum, & phantaſiam imbuit, quam ſi punctim res attingens uno verſiculo ſenſum concluderet, occultiusque faſcinat legentem, quam ſi eodem tenore uteretur, aut de una re plures ſimiles congereret. Teneritudini vero ſe dat, ubicunque modo aliquis eſt locus; huic porro addit lenitatem, atque mollitiem, quam & Plinius in eo commendavit. Quintillianus quoque ejus Euphoniam laudat l. XI, c. 3: *Itemque laudatur in Catullo ſuavis appellatio litterarum.* Jam vero linguae venuſtates, & Romanam illam urbanitatem perinde ut optimus quisque calluit, nec ad popularem ſimul commoditatem eam quisquam alius ita accommoda-

vit, ut Catullus. Hic autem genius ſane naturae proprius videtur, cum optime habet, & feſtiviſſima eſt: hic item in ceteris carminum generibus Poetis paſſim omnibus placuit. Uno filo inter ſeſe conſequuntur imagines; nihil laborem & artem redolet: nihil ingenii duntaxat commendandi cauſa factum videas. Materiem rerum ipſam ſi conferamus, Catullus ferme rerum formis, adjunctis, ac lenibus ſcatet affectibus; non ſententiis conciſis, non ſynonymis, non exemplorum, & ſimilitudinum punctis, non antithetis, & variarum partium enumerationibus, quae Ovidius ita omnibus paginis cumulat, ut haec ei integras ſaepe elegias efficiant. Eſt igitur Ovidius in cultu pentametrorum, in munditie quadam verſuum, atque etiam in ceteris elegantiis ſtudioſior: Catullus contra ſtylum amoenitate, ac libertate penſavit, quodque his minus aptum videbatur, neglexit. Ovidius cito placet, maxime ſui ſimilioribus, &, ut venuſtis facile parcitur, etiam naevorum veniam citius ſibi meretur, quam alius laudem virtutum. Catullus ſero placet,

&

& tenet. Haec hactenus eorum cauſa ſcripſi, qui ſectae cuidam addicti cum virtutibus etiam vitia in claris Poetis admirantur, ut ne certi aliquid quaerant, ubi nihil ſubeſt; ſed eas ad lectionem afferant inſtitutiones, quae prohibeant, ne vanas ex ea referant conjecturas, & inanium venuſtatum imagines. Sed jam deinceps cum doctioribus mihi ſermo erit; neque enim ego, qui Ovidii quaedam reprehendi, omnia Catulli velim propugnare. Sed quoniam obſcurius a doctis culpantur, luce aliqua viſa ſunt indigere.

§. VIII.

Quae Catullo objectà ſunt, qualia ſint, expenduntur.

Tria ſunt maxime, quae Catullo adhuc cognovi objecta eſſe a totidem adverſariis, quae paulisper limabimus; affectatio nimirum ab Heinſio, duritas ab Scaligero; Callimachi depravatio a Gottfrido Ephraimo Müllero: cum iſto autem quia gravior erit controverſia, novo

opus erit paragrapho. Heinſius igitur in citata Praefatione ſuae Monobibli *inaffectatae Graecorum elegantiae in quibusdam affectatorem* vocat Catullum ſuum, non tanquam obtrectator, qui illi crucem figeret, ſed tanquam amator, qui in eo aliqua deſideraret; nec enim faſtidiebat Catullum Heinſius, cui quantum tribueret, ſatis eodem in libro eleg. VIII ſignificat; cum prae ſe fert, ita ſe Catullum habere in manibus, perinde atque Theocritum, ut hos ſibi res nulla queat excutere, niſi puellae ſuae adventus. Unde ait: *Quid mihi Simichide tecum eſt, facilisque Catulle?* Apparere autem in Catullo ſingulare quoddam imitandae Graecorum elegantiae ſtudium facile patior; quippe nondum ſatis excultis Muſis Romanis, nec trito, quem ingreſſus eſt, calle, ut Cicero de iis temporibus exiſtimare eſt viſus Lib. III. de Orat: *Patitur enim & lingua noſtra, & natura rerum, veterem illam, excellentemque prudentiam Graecorum ad noſtrum uſum, moremque transferri. Sed hominibus opus eſt eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere noſtri nulli fuerunt: ſin quando exſtite-*

rint, *etiam Graecis erunt anteponendi.* Probat hic Cicero ſatis perſpicue Graecorum imitationem, quippe nondum, exculta in omni genere artium lingua ſua populari. Unde boni utique erat conſulendum, ut venuſtates, quam poſſent, plurimae ex aliena, eaque ad maturitatem jam perducta in illam transferrentur. Sed ea res viros quaerebat ſane peritos, in quibus affectatio nihil paene ſentiretur, cujusmodi ea aetate non erant quidem multi. Quis autem neſcit, ut ne affectationis ſpeciem res praebeat, plurimum intereſſe, ut multorum uſu & conſuetudine trita ſit, & mollita. Praeterea vix poteſt ſatis affectationis ſemper notam effugere, qui ad alienum ſe potius ingenium, quam ad ſuum conatur fingere; & conſueta, ac propria praetermittit, ut nova, & aliena aſciſcat. Uſuvenit igitur imitatoribus, ut, cum nondum plane in ſuccum ſuum, ſanguinemque converterint omnia, aemulandi potius ſtudio, quam liberali naturae munere, ſuoque impetu effundant aliqua, neque ex multis coloribus ad ſuum quemque locum ſemper ſciant referre. Haud tamen facile

quemquam putem poſſe locos Catullianos ejuſmodi producere, in quibus ſit tam aperta Graecae elegantiae affectatio, ut ea, facto indicio, e multis cuique cito ſuboleat; aut ut illa ipſa defendi aliquo nomine non poſſit. Licentior ferme eſt in compoſitione noſter Catullus, quam Poetae Latini ceteri, Graecorum more potius uſus, quam ſuorum: ut cum Herculem vocat *falſiparentem*, & Jovem *multivolum*. Sed iſta a quotidiano Romanorum ſermone aliena Poetis tamen ſuis haud gravate Cicero permittit (*), neque ipſus, cum verſus e Graeco vertit, id facere dubitavit. Atque utinam Latini compoſitioni majorem veniam dediſſent, nae illi linguam multo pluribus rebus locupletaſſent! Quodſi aut Catulli ſupereſſent plura, aut is diutius vixiſſet, fortaſſe haec quoque, quae imitationem ſapiunt, magis elimata, aut maturiora cognoſceremus. Nihilo minus multa certe, & imo vero plurima Graecorum conſecutum eſſe Catullum ſatis poteſt liquere. Plura praeſtare ſi auſus eſt Heinſius, ſuo ille periculo fecerit.

(*) L. III. de Orat. & in Bruto.

Pro ſua virili praeſtitiſſe eum quidem puto: an vero ſemper terruerit Romanos, Ovidium, inquam, & Catullum, ille viderit: nam ſi multum ille teneritudinis cum celeritate in res amatorias contulit: Catullus contra amoenitatem perpetuam, ſimplicitatem, ac mollitiem ad res etiam familiares attulit. Quod vero duritatem Catullo objicit Scaliger L. VI Poetices, in eo non videtur magnopere a Plinio diſſentire: etſi enim ille ſeverior eſt lenitatis exactor, tamen et huic ita viſum eſſe apparet ex epiſt. XVI Lib. I, cum inter ceteras Pompeji Saturnini laudes hoc etiam commemorat: *Praeterea facit verſus, quales Catullus, aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis! inſerit ſane, ſed, data opera, molliuſculos, leniuſculos, duriuſculos quosdam: & hoc quaſi Catullius, aut Calvus.* Nec dubito, quin haec de elegia quoque, aut forſitan maxime intelligenda ſint, cum in ceteris ſolutiorem eſſe Catullum omnes fateantur; in elegis contra negent multi. Nec de nihilo conjecto, Calvum perinde ut Catullum elegos ejusdemmodi dediſſe: certe eo in genere aemulatus eos videtur Propertius, cum Lib. II, el. XXV ait:

Iſta meis ſiet notiſſima forma libellis,
Calve, tua venia, pace, Catulle, tua.

Id igitur porro conſiderandum eſt, in quo duritas illa conſiſtere videatur. Nego eam in polyſyllabis pentametrorum, aut in ſententiae per plures verſus circumductione quaerendam eſſe, ſi veterum ea de re ſententiam explicatam habere cupimus. Cur enim iſta in vitio ponerent Romani, quae in Graecis, quos artium omnium magiſtros habebant, eſſent perpetua, jam a Latinorum etiam non nullis expreſſa? Aut ſi ab iſtis abhorruere, cur nullis id monſtrarunt indiciis? Cur genus hoc ſuis notis non perſtrinxere, ut mos eſt Criticis? Cur nulla usquam rationum momenta? Cur ita Paſſienum laudat Plinius (*), imitatorem Propertii, qui Graecos tam ſtudioſe eſt conſectatus? Profecto cum Romanum hominem, ut ſupra commemoravi ex Gellio, Graeci laceſſerent, ut Graecanicis paria afferret, non ille Ovidios, & Pedones laudavit, ſed illorum quaedam protulit carmina, qui eſſent Catulli, & Propertii ſimiliores. Non igitur ſi du-

(*) L. VI. ep. 15. & Li IX. ep. 22.

rus aliquando exiſtimatus eſt Catullus, continuo ex hoc genere exiſtere duritas eſt putanda: ſed hoc ipſum potius illud lene, ac molle eſſe ſuſpicer, quod in Saturnio Catulli imitatore Plinius, & in ipſo Catullo, ac Calvo Graeci probabant. Imo Scaliger ipſe lib. cit. de Propertio loquens numerum hunc ex polyſyllabis eſſe molliorem habitum ſtatuit, ſicut etiam in jambis. Et Quinctil. l. IX, cap. 4: *Eſt in eo quoque non nihil, quod hic ſingulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus eſt permolle &c. . . . . ut in iis: Fortiſſima Tyndaridarum &c.* Quidni enim ita exiſtimem, cum ad res maxime delicatas, & molles videam ejusmodi potiſſimum caſus pentametrorum adhiberi a Graecis & Latinis maximi nominis Poetis; quod non erat futurum, niſi in his fractum quiddam, & molle arbitrati eſſent ineſſe; cum certe res ipſae exigerent ſuavius cani, eandemque mollitiem etiam metro ſoleant impertire. In quo igitur ſita eſt tandem Catulliana duritas? Equidem non putem eſſe certum quoddam genus, ut illi cauto opus ſit, qui auctorem hunc legat, ne

quid ei vitii ex ipſo ſtyli genere affricetur. Sed mendae ſunt ferme ſparſae, & fortuitae, in quo multum diſtat ille ab aliis, qui certo cuidam corruptelae generi ſe tradidere. Cum vero durum ſit, quod difficulter percipitur, aut pronunciatur, facile intelligitur, vocum *eliſiones*, ut vocant, cum ſunt nimium crebrae, aut licenter poſitae, parere duritatem. Multi eruditorum paſſim carpunt verſum illum Catulli carm. 74: *Quam modo, qui me unum atque unicum amicum habuit:* quandoquidem non opinione, ſed ratione iſta repudiari putant, quia ne metrum quidem in his ſentiant aures; ſicut & alia veteris Muſae, etiam a Catullo jam relicta, ut cum voces truncabantur, aut breves ſyllabae in longas, & hae viciſſim in illas nulla verecundia mutabantur. Sunt & alia in Catullo dura, dum voces aliquando nimium transponit, aut ſententiam omnibus ſuis partibus non abſolvit, aut denique per negligentiam rudia quaedam, & imperfecta relinquit, cujusmodi mendarum exempla l. c. producit, & notat Scaliger, ſeverior juſto ille quidem caſtigator; ſed non ab re eſt etiam iſta

cognoſcere, ut, qui lenès, ac amoeni eſſe cupiunt, ſimul nec illud prorſus negligant, ut ſint etiam terſi, ac politi: modo ne nimia cura hoc ipſum genus iterum corrumpant. Duris autem oppoſita ſunt facilia, quae cito percipiuntur, & mollia, ac lenia, quae commode influunt in aures, fractumque quendam animum ſignificant. In hoc omnis eſt Catullus: non ille argutus, non pictus, & ſplendidus, non ſagax, preſſus, aut gravis, ſed mollis, ſolutus, & jucundus laborat videri. Jam vero ipſos illos naevos, quos in eo carpi facile ego patiar, alii tamen, iique multo doctiores belliſſime excuſant. Putant enim hos negligentiae cuidam doctae adſcribi poſſe, quae in praecipuis virtutibus ſit numeranda: unde ſic de illa P. Jacobus Pontanus (*) ex Seneca: *Quaedam didiciſſe oportet, non diſcere. Tum demum in arte locum habet negligentia, ſi ſucceſſit immodicae diligentiae, ita ut remiſſam ſententias, non omiſſam. Haec nimirum eſt illa docta negligentia, quam Terentius mavult, quam aliorum obſcuram diligentiam.* Memini profecto, quodam Prae-

(*) Att. Bell. Part. III. Synt. XII. n. XIV.

ceptore adoleſcentem me uſum, Ferdinando Grebmero viro ſane docto, & ſaporis minime publici, qui nobis iſta negligentius facta in Catullo, ejusque aequalibus multum aſpernantibus, cum ipſe Ovidium mirari plurimum videretur, magna tamen modeſtia ſignificavit, arbitrari nos per aetatem non poſſe, ſive ubi locus eſſet negligentiae, ſive quantum in ea ipſa ineſſet elegantiae. Et vero qui Catullum conſiderat lautum hominem, & veterum conſenſu ſane doctum, totque litum artis luminibus, isne exiſtimare poſſit, imperitia, aut inopia illum reliquiſſe in ſuis carminibus horridula illa, & inculta; nec eo potius, ne curam, & diligentiam verſus ſaperent? Sciebat nimirum, facile ſibi veniam daturos negligentiae, qui ex ceteris ejus inſignibus nullo negotio cognoſcerent, ſtudioſe quaedam ab eo non eſſe expolita: quin illud fortaſſis affectabat, ut tanto feſtivior haberetur, & ab artis ſtudio alienior, ſi quaedam temere faceret videretur, & tum curſum ipſius carminis, tum verſuum licentiam indolis ſuae liberalitati accommodaret, ut juvenis, isque nobilis, effunderetque res ejusmodi, quae in Ca-

tullo placerent ; in alio probari vix poſſent, quia ejus ingenio forte minus convenientia. Atque hoc idem ipſum eſt, quod in Catullo obſervaſſe Plinius videtur, ſcilicet, *data opera duriuſculos* quosdam verſus ab eo ſuis carminibus inſperſos fuiſſe: ex quibus tamen plus laudis in eum, quam vituperii debeat redundare.

§. IX.

Defenditur Catullus adverſus novam obtrectationem.

Müllerus, de quo dictum eſt ſuperiore paragrapho, Vir quidem eruditus in paucis, & bene de re litteraria meritus editis Inſtitutionibus Hiſtoricis, Criticisque ad Auctorum Latinorum cognitionem, atque uſum; minus tamen aequum praebuiſſe ſe Catullo videtur, neſcio an odio adductus inhoneſtae turpitudinis, in qua inſectanda ſi etiam modum, & limites egrederetur, purgari tamen poſſet; an vero ſtudio potius ſectae, quae perinde obnoxios, & reos non perinde ſemper ulciſcitur. Laudavimus ſupra Catulli verſionem e Graeco Callimachi: at multum ea

diſplicet Müllero: ſententiam Callimachi ſatis accurate, ac perſpicue redditam non diffitetur: at nimis multa in verſione redundare cenſet. Verſus auctoris erant hi duo citati a vetere Arati Interprete:

Ἡ δε Κονον μ' εβλεψεν ἐν ἠερυ τον Βερενικης
Βοϛρυχον, ὀν κεινὴ πασιν εθηκε Θεοις.

quos duobus tamen diſtichis reddidit Catullus:

Idem me ille Conon coeleſti in lumine vidit
E Bereniceo vertice caeſariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum
Laevia protendens brachia pollicita eſt.

Voces illas priore loco a nobis diverſa ſcriptura indicatas, quae reſpondent his Graecis: *τον Βερενικης βοϛρυχον*, non modo ſuperfluas contendit eſſe, ſed & vitium obtuliſſe Catullo, ut elegiacas leges perfringeret, quibus cavetur, ut ſententia cum pentametro rite deſinat. Vocem *ἐθηκε* vero ſic eſſe redditam, ut integrum pentametron infarciretur: nec tamen mentem auctoris exprimi, cum vox *pollicita eſt*, propoſitum dicat, *ἐθηκε* vero voti perſolutionem ſignificet. Denique commodius reddi putat omnia potuiſſe uno hoc diſticho:

Namque Conon crines Berenices vidit in alto
Aere, quos cunctis voverat illa Diis.

Alterum porro, quod exſtat, Callimachi fragmentum, inficiari non audet, quin id aptum, & accuratum in Catullo verſorem ſit nactum (*). Quae vero ex Sapphus quodam carmine ille mutuavit, haec quoque a Müllero perſtringi, nec vertentis probari ei poſſe dexteritatem, ſane mirabuntur Docti. sed in primis reſpondendum eſt iis, quae a Critico ſuperiore loco diſputata ſunt. Eſto, brevius reddi potuerint verſus Callimachi: quid tum? Eritne in vitio ponendum, ſiquis copioſius id faciat, ut ſententiam ſcriptoris belle exprimat? Eane venia verſoribus non datur? cumque linguarum diſcrimina maximas inducant varietates, nonne laudi erit, ſiquis dotes, quas altera lingua non capit, aliis ſatagat penſare? Quis interpretum ita juravit in verba, aut eorum numerum, ut iis ſtare neceſſe ſibi putet, nec ſui potius arbitrii eſſe, preſſius, an explicatius transferre res velit? Sed enim non eſt neceſſe, quod dedimus, adverſa-

(*) Vers. 45. & ſeqq. de Com. Berenic.

rio huicpermittere. Nego igitur, ſaltem tam accurate, venuſteque, atque oportebat, reddi e Graeco uno diſticho poſſe, quae complexus eſt Callimachus, quem fortaſſis elumbem facerat illud Müllerianum. Nam nec vox βοϛρυχος praeciſe, & proprie *erinem* ſignificat, nec verbum Εθηκε duntaxat *voti* nuncupationem, ut ipſemet intelligere videtur Müllerus: cum ſit enim verbum, cujus latiſſime patet ſignificatus, multum venuſtatis detrahitur, ſi verbum ſubſtituatur arctioris ſignificationis, & determinatae. Itaque Catullus cum vix ſperaret uno diſticho rem omnem ſe poſſe abſolvere, ſcite eam iniit rationem, ut re duobus diſtichis dilatata verborum vim aſſequeretur; cetera vero, quae ad explendum ſibi proinde neceſſaria videbat, adderet quidem fortaſſis de ſuo; duceret tamen ex ipſis narrationis adjunctis. Quo quidem conſecutus eſt, ut perinde ſplendeant Latina, ac Graeca. Nec ineptum fuit verſu integro exaequare verbum εθηκε: nam illud nec propoſitum duntaxat ſolum, ſine quadam exhibitione rei, ac geſtus, quam accurate exprimit Catullus, nec ipſam vo-

ti redditionem hoc loco ſignificat: nam & infra verſu 40 & ſeqq. ſatis indicatur, pollicitationem duntaxat fuiſſe cum quodam ritu, nec ſine conditione, *ſi reditum tetuliſſet* conjux. Praeterea cum verſus Callimachi ſequentes Graece jam non exſtent, ne illud quidem conſtare poteſt, num Catullus nihil ex poſteriore diſticho jam mutuaverit. Quod vero contra elegiae leges a Catullo peccatum eſſe queritur, mirum non eſt in Viro a Gottſchedianis partibus informato. Quin imo eo factum eſt, ut plane ſuam ſignificaret imperitiam, dum ſectae ſcitis nixus in ipſum animadvertere Callimachum eſt auſus. Non enim cogitabat, incertas eſſe, quas ſequeretur, rationes; cum ars ex obſervatione utentium nata ſit, & tum demum rata, cum omnium aetatum approbatione cohoneſtantur ii, a quorum exemplis ars cognoſci caepta eſt. Quam igitur ridiculum doctis ſe praebuit, dum Callimachum adeo aggreditur, tamque imperite multa de eo judicia facere eſt auſus? „ *Si recte novi* „ *Callimacham*, inquit (*), nec multum fallor

(*) Pag. 277.

„ non is quidem divinus fuit „ *praeſtigiatorem* fuiſſe *poeticum* negat, ſi craſſe vocem Germanicam reddere velimus, uti eadem ille craſſe uſus eſt. Sententiam ſuam Ovidii auctoritate defendi putat, qui lib. I Am. el. 15 Callimachum non ingenio, ſed arte valuiſſe ſcribit: quaſi vero non haec illo longe potior eſſet, quanquam quod ſatis eſt, ingenii fuiſſe in Callimacho, quis, niſi pecus, dubitet? plus ſatis non habuiſſe laudi eſt profecto. Denique modeſtiam Propertii laudat, quod imitatorem ſe Callimachi, & Philetae, nec iis potius ſuperiorem profeſſus ſit. Magnum profecto crimen in viro alioqui non inerudito, quid doctiſſimi quique de his Poetis ſentiant, usque adeo ignorare; nedum quid de eis ſentiendum ſit, non cognoſcere. Sed tantopere Gottſchediana lex infederat, ut quia nec pentametro ſenſum continet Callimachus, nec polyſyllabas veretur clauſulas, ne hunc quidem tot aetatum exiſtimatio ſervare a novi Litteratoris licentia incolumem, & eximium potuerit. Non igitur immerito, an noſſet Callimachum, dubitabat vir bonus; ita eſt, plane haud norat Calli-

machum, quem & nobis, quam vellemus, minus licuit noſſe, multumque ille fallitur; ſed maxime, dum ea recenſet, ex quibus aeſtimare Callimachum inſtituerit. Sunt autem haec tria, ſtylus purus, cognitio mythologiae, & quaedam ſententiae memoria digniores. Haeccine vero omnia, ac ne haec quidem accuratius, & perſpectius cognita in tam illuſtri auctore? Jam igitur facile intelligo, cur pag. 281 intempeſtivam ſcilicet Graecorum imitationem, eorumque in pentametris licentiam in Propertio reprehendat. Scilicet adverſabantur iſta vulgaribus, quas penitus receperat, opinionibus. Hinc (eſto etiam arrogantius) convellenda judicabat. Quid non agit bonus Litterator, ut Callimachi nomen obſcuret, & deprimat? Philetam, cujus quidem vix niſi pauca quaedam apud Athenaeum ſuperant, illo ſuperiorem (*) contendit: cum primum tamen a priſcis omnibus poſitum eſſe Callimachum ſatis conſtet. Neque jactet Müllerus, uti ſupra (**) magnum

(*) Pag. 278. (**) Pag. 267.

ſibi poſt caput auctorem eſſe, tanquam daemonem quendam Socraticum, nempe Scaligerum, etſi hoc loco nihil ei acceptum refert, re tamen vera ab illo errorem hauſit; dum confirmandae ſententiae cauſa illum Propertii locum (*) adſcribit:

Tu ſatius Muſis meliorem imitare Philetam,
Et non, inflati ſomnia Callimachi.

Quem ſic interpretatur, ut tumorem quendam huic tribuat, cum id ipſum Propertius neget, inflatum eſſe hunc Poetam. Satis id planum faciam; in primis ex ipſo propoſito & ſerie elegiae, quae neſcio an alioqui ſic explicari poſſit, ut non pugnent aliqua. Hic autem tractus, & tenor illius videtur: Quid nunc prodeſt tibi, Linceu, Socratica ſapientia, aut carmina Cretaei (quiscunque ille ſit, ſive de moribus, ſive de natura ſcripſerit): nil te juvat in amore ſenex veſter praeceptor: melius ſequeris Philetam, qui Muſis longe praeſtat ſeni veſtro, & Callimachum minime inflatum. Nec tractabis materias graviores, ut pugnam Acheloi &c, quas enume-

(*) Lib. II. El. non 23, ut Müllerus; ſed 34.

tat ſive ab alio veterum, ſive ab ipſo Lynceo elaboratas; nec Tragoedias ſcribes more Aeſchyli; ſed anguſtiore gyro te include, & verſus fac de amore: nimirum exemplo Philethae, & Callimachi. Sic quidem ſibi conſtant omnia. At ſi ſententiam mutes in Callimachi dedecus, quo teſtimonio, aut indicio Propertii probabis? quae neceſſitas ita torquendae ſententiae? Martialis auctoritate tuetur ſe Scaliger. Tametſi vix quidem dignus eſt Bilbilitanus, qui contra Battiaden nominetur: nihil tamen moramur iſtud. Sed ſi multum largiamur, de obſcuritate loquitur Martialis, non de tumore, nec de obſcuritate ſermonis, ſed ipſarum rerum, ut quidem ipſemet interpretatus eſſe Scaliger videtur. Sed aliter ſentiunt alii, & multo dilucidius rem explicant, cum Mamurrae Martialis (*) ait: *Legas Aetia Callimachi*, minime id eo valere, ut perſtringat, aut elevet Callimachum. Sed, uti quidem Domitius Calderinus commentatur, cum Mamurra Martialis carmina aſpernaretur, eoquod nihil dignum haberent poetico ingenio, & fa-

O 2

(*) Lib. X. Epigr. IV.

buloſo ; non hanc eſſe cauſam, Poeta ait, cur Mamurra carmen non legat, ſed quod nolit morum ſuorum reprehenſionem legere. At quia ſuos mores cognoſcere ille non velit, ſuadet ei, ut legat *αιτια* Callimachi, ſeu ejus carmen de moribus, quod Calderinus putat eſſe Callimachi carmen in Ibin, quippe quod ſimul & fabulas tractet, & mores, & ſimul in malum hominem diras contineat. Et ſane videntur huic interpretationi ſuffragari, quae de Callimacho habet Ovidius in Ibin, verſ. 56, & ſeqq. quem imitari ibi inſtituit. Nihil igitur ad rem praeſentem haec facit auctoritas. „Quis vero ſibi perſuadeat, adeo minui a Propertio nomen Callimachi, quin ſuam ſententiam pluribus declaret, aut confirmet? Quidnam hoc eſt, quod ſequente mox elegia (*), & item Lib. IV, el. VI, verſ. 3, & 4 utrumque Poetam conjunctim invocet, & eosdem iterum lib. III, el. IX, verſ. 43, & 44. laudis poeticae ſocietate conjungat? Itane, ſi diſſuadendus videbatur ob tumorem, hunc votis vocaret? Aut ſi ejus ſomnia exploderet, ipſemet

(*) Lib. III, eleg. I, verſ. I.

talia ſcribere ut non dubitaret (*)? Solet Müllerus paſſim veterum auctorum genera noſtris poſterorum metiri; quam idonea aeſtimatione, facile intelligimus. Sed hic certe non inepte hac utetur comparatione. Quis Gottſchedianorum non proinde, ut par eſt, averſatur Lohenſteinii tumorem? Sed quis unquam eorum hunc conjunctim cum Hagedornio, Günthero, aut Opizio invocaret? Quodſi porro prae Phileta Callimachum contemſit Propertius: cur igitur ipſemet Romanus vocari Callimachus (**) ambiebat? Quis vero inflatum unquam dixit, aut putavit Battiadem? Aut ſi diceret Propertius, nonne ſibi ipſe adverſaretur, cum lib. II, el. I, verſ. 39 & 40. dicat:

Sed neque Phlegraeos Jovis, Enceladique tumultus
Intonet anguſto pectore Callimachus.

Si anguſto; certe non inflato fuit. Si autem anguſto, & tenui, non aptus erat materiis gravioribus, ſed amoribus canendis, ut ſupra monui Propertium indicare, & Ovidius quoque adſtipulatur L. I de Rem. Am.

(*) Lib. II, eleg. 26, & Lib. III. eleg. 3, & Lib. IV, eleg. 7. (**) Lib. IV, eleg. I, verſ. 64.

Callimachi numeris non eſt dicendus Achiles. Neceſſe fuit haec accuratius perſequi, quando memini, Scaligeri errore eruditos plures fuiſſe implicitos. Primum quidem Paſſeratius, ut erat Grammaticus in paucis doctus, & magno judicio, noſtram equidem interpretationem videtur amplecti voluiſſe, ſi ſuum ſecutus eſſet judicium; ſed Scaligeriani credo nominis magnitudine territus, non auſus eſt ejus divinationem rejicere, ſed in bivio ſubſtitit. Ab his deſcripſere deinceps alii, in quibus etiam Interpres Regius Philippus Silvius, qui, ut Capram ſequitur capella, ita alienam ſententiam ſine indagandi labore caeco aſſenſu ſuſceperunt. Non igitur magna nomina contrectare oportuit, Callimachi inquam, & Catulli, ac partim etiam Propertii; omnes tamen illos eandem ob cauſam, quod adverſari ſectae videbantur; quae cum periclitari putatur, omnes ſunt inſulſi, & jejuni, qui alioqui celebres haberentur. Scilicet quod tumidum, aut falſum eſſet, prohibuiſſe, & aboleviſſe contenti Gottſchediani, cetera omnia in

(*) Pag. 266.

ingenio, meticuloſa cura *puritatis*, & praeceptionum ſuarum religione habebant poſita ; quid amoenum, molle, lepidum, rotundum, facetum, liberum, nativum, tenerum, & liberale ſit, non accuratius quaeſierunt, & multi vix ſuſpicabantur. Hinc manant omnia : Hinc bonus vapulat Catullus cum Graecis ſuis : hinc ei Martialis antefertur : hinc Michael Montanus (*) non leve Müllero vulnus facit, quod Catullo inter Latinos Epigrammatum Scriptores primas dat ; Andreas vero Naugerius omnino *idololatriae* reus peragitur (*), quod Manibus Catulli annuo feſto tria Martialis epigrammatum exemplaria, rogo injecta, inferias dederit. Certe quidem e Mülleri ſecta haec nemini in mentem veniſſent. Quodſi Viro ceteroquin optime merito acerbiores videmur hic fuiſſe : at ille quoque Viris praeclaris iniquior fuit : & aliqua etiam praetermiſimus, quae addere poteramus.

(*) Pag. 285.

§. X.

Quid denique ſentiendum, & ſequendum videatur.

Siquis ex nobis quaerat, quorſum denique iſta haſtenus omnia pertineant; tametſi ſatis perſpicuum eſſe poteſt propoſitum noſtrum: illud tamen iterum repeto, ea me tenus diſputaſſe, quoad diluta ratione, & non guſtu quodam incerto poterat perveniri; neque aliud egiſſe, niſi ut ineptas, ac liquido falſas perſuaſiones convellendo rem ad aequitatem deducerem. Verſantur autem praeconceptae opiniones illae in eo potiſſimum, quod deteriori loco haberetur Catullus, quia genus illud diſcriminatum, ac quaſi articulatum Ovidii, certamque menſuram, ac pentametrorum numeroſam, ut quidam volunt, aequabilemque concluſionem non eſt ſecutus, multaque in elegia putavit negligenda, quae alii poſtea in munditiis habuerunt; multa contra etiam ſtudioſa negligentia admiſit, quae poſtmodum,quorundam commentatorum nimia religione invaleſcente, in mendas abierunt,

Contra ea nobis eſt viſum iſta omnia adiaphora putare, quae plurimum ex genio pendeant ſcriptoris, & ex rerum, de quibus ſcribit, varia in ejus animo informatione. Quodſi haec paulo aliter explicare quibusdam placeat, ut viro cuidam in paucis docto, nobisque amiciſſimo viſum eſt, ego quidem nihil pugnavero; quando, diverſo licet itinere, ad eundem exitum pervenimus. Is enim cum in certo quodam numero, & harmonia ineſſe judicaret aliquid, quod praeter jucunditatem rerum etiam gratum ſit auribus, non putavit ab hoc diſcedendum eſſe, niſi ubi res ipſae aliam harmoniam exigerent, ac praeterea alias quoque, ut libertatis ſpeciem Poeta praebeat. Quae explicandi ratio & ſolutior eſt, & fortaſſe commodior. Ego vero in ea ſum ſententia, ut putem, obſervata metri ratione, in numero quoque caſus quosdam propemodum neceſſarios eſſe, atque auribus manifeſto gratiores accidere; ut ſunt illi, quos caeſuras vocant: etſi enim certum locum non habeant iſtae, nec ſtatui poſſit, quoties uno in verſu iis uti expediat; tamen ſi omnino eximerentur; profecto

dolerent aures, & metrum, quod vix obſervaretur, requirerent. Alios autem ſive caſus, ſive vocum dimenſiones per ſe adiaphoras puto, & ſolum extrinſecus fieri ſive probabiles, ſive deteriores. Nam gratas illas effici poſſe conſtat, ſi res quae eis ſubſunt, ſint amoenae, aut belle, accurateque ſignatae; ſi genius, aut affectus Poetae, ceteroqui non inepti, ita ferre videatur; ſi denique nativo quodam ordine, ac curſu omnia profluant: contra ea moleſtas effici iis ex cauſis, de quibus §. III. commemoravimus, & mox infra iterum redibit ſermo. Utraque ratio denique eodem valet, nec difficulter poteſt adoptari. Quae nec morabimur, utram ſequi oporteat. Sed ut mentem accuratius declaremus noſtram, quaedam ſubnotabimus. Argutiis, & ingenio in elegia tantum tribuimus, non modo ut limatum illud, ac rectum velimus, verum etiam ita opportunum, & rarum, ut ſalia, ac condimenta; eique naturam, & amoenitatem ut ſemper anteferamus. Elegantias praeſertim ſi ſtudioſe adhibitas eſſe appareat, pueris, & tironibus relinquimus. Illas amamus, quibus natura feſti-

vior carere nôn poteſt. Certa genera imperitorum uſu, & aurium ſatietate jam propemodum viluerunt. Metri quidem accuratam, numeri vero eam habendam eſſe rationem puto, vt meminerimus, res ceteras illo priores, & potiores eſſe, non his illum anteſtare. Quare nimis exactam diligentiam, anxiamque placendi ſollicitudinem, & ſuperſtitioſas hujus munditiae obſervationes flocci facimus, quando exiles ferme, atque exſangues eſſe eos Poetas cognovimus, qui haec aut moroſius exigunt, aut religioſius ſequuntur; cum res potius intueri in lucubrando oporteat, quam verba, aut numerorum caſus, cumque ſuapte haec ſequantur; nedum poliendae harmoniae cauſa, vel aures deliniendi ſtudio, quae ad rem praeſentem aptiora ſunt, praetermittere. Denique ne libertati quidem ſic indulgeo, ut omnia ei putem permittenda, quando eadem propemodum commoditate vitari poteſt aſperitas ſive *eliſionis*, ſive numeri, tum quidem potiſſimum ſi haec a neceſſitate duntaxat, inopia, ſermonis contortione, aut exilitate proficiſcatur, ita ut appareat ruſticitas ho-

minis, aut meliora ac commodiora non ſentientis, aut geminatas virtutes ſimplicibus non anteferentis. At praeſtantiſſimi Poetae etiam cum licentius, negligentiusve aliquid fecerunt, ſatis ſe tamen ſcite ab agreſtibus, & barbaris ſecernere ſunt ſoliti, cum ceteris moribus, tum opportunitate, & ipſa aberrandi dexteritate; & dubites saepe, an id ipſum optimum factu non fuerit. Quod vt animadverti poſſit, atque etiam ut luculentius appareat diſcrimen inter nimiam accurationem, & nativam libertatem, ſubjiciemus quasdam emendationes Scaligeri in loca aliquot veterum Poetarum, quos ille Lib. VI Poetices, quem Hypercriticum vocat, ſaepe caſtigatiores mallet, ipſaque tamen emendationis ſuae infelicitate mihi videtur magis commendaſſe. Mittamus Ovidium, cui & ipſi non parcit: in Tibullo illud reprehendit Lib. III principium, ob ſpondeos, & ſonum ejusdem vocalis: Martis Romani feſtae venere calendae. Mavult ſic poni, ſed neſcio, an obſcurius; aut certe an operae ſit:

Romani feſtae Martis venere calendae.

Nec minus illum reprehendit verſum tanquam non ſatis politum.

Sed primum Nympham longa donate ſalute.

Mavult comi verſum quaeſitis elegantiis, & ſic exornari:

Sed teneram facili donate ſalute puellam.

Vel:

Sed dominam rára primum donate ſalute.

Mihi verſus Tibulli non modo magis maſculus, & nativa felicitate effuſus, verum etiam magis ad naturam, & rem factus videtur, ad indicandum ſcilicet ſalutationis genus.

Nec movet me multum illa caſtigatio verſus Tibulliani;

Et nulla incaepto perlabitur unda liquore,

ejus loco maluit dicere Scaliger:

Lubrica nec facili tractu perlabitur unda.

In Catullo quoque perſtringit verſum illum:

Cum teres excelſo coacervatum aggere buſtum.

cui hunc vult ſubſtitui tanquam meliorem:

Funereum celſo congeſtum ex aggere buſtum.

Ego nec Latinitatem eandem in hoc invenire videor; num enim buſtum congeritur ex agge-

re, an agger potius ex iis, quae comburuntur? nec imitationem celſae illius ſtruis, quam Catullus exprimit. Similes ob religiones culpat hunc ejusdem verſum:

Nam ſimul ac feſſis dederit fors copiam Achivis.

Subjicit huic iſtum:

Nam ſimul ac dederit feſſis fortuna Pelaſgis.

Vel:

Nam ſimul annuerit feſſis fors obvia Graiis.

Non dubito, quin ejusmodi epitheta, aut tropi, quibus ornandi cauſa utimur, ſaepe etiam Poetis illis noſtris in mentem venerint, cum lucubrarent. Sed ab eorum ſententia reor me propius abſuturum, ſi eos putem majorem habuiſſe totius propoſiti, quam ſingulorum verſuum rationem, atque ubi juſtam ineſſe quibuslibet membris proportionem animadvertiſſent, reliquas, minimeque neceſſarias expolitionis delicias, tanquam crepundia, aſpernatos eſſe. Saepe vero privato homini, & vacuo commodius aliquid venire in mentem poteſt, ſi ſingillatim verſiculum quemdam ſpectemus: cum toto tamen ſcribentis genio plerumque vix per-

inde convenit. Poſtquam jam de artis rationibus, quid ſentiamus, eſt dictum, de Auctoribus duae ſuperſunt ad diſceptandum breviuſculae quaeſtiones; de quibus itidem quid exiſtimemus, dicere hujus porro eſt loci. Primum enim legenti iſta in mentem veniet ſciſcitari, quem igitur Poetarum veterum anteferendum putemus, & quoniam jam ſupra demonſtravimus, longe nos a ſecta alienos eſſe, porro tamen quaeri poteſt, queatne unius auctoris ſtylus miſceri cum proprio alterius, aut ſi id fieri non decet, quid tandem ſequendum eſſe videatur. Ego vero non dubito, quin plures virtutes ab diverſis ſumtas, multa obſervatione, ac felici quadam aemulatione convertere quis in ſuas, eodemque in carmine conjungere ſaepe poſſit. Cur enim venuſtas, facilitas, ac moderata quaedam munditiès Ovidii; cur libera, & inoffenſa ſimplicitas, vigorque agilis Tibulli; cur Propertii teneritudo, ac mollities, cur denique Catulli amoenitas, feſtivitas; atque omnis offenſionis ſecura uno curſu quovis evagandi licentia in uno homine omnibus rebus inſtructo, inſtitutoque locum

habere non poſſint, ut, ſi omnia ipſe teneat, ſuo etiam loco quaelibet ille poſſit exponere? Quodſi vero de ſtyli imitatione illa accuratiore, quae proprium cujuslibetScriptoris contemplatur characterem, ſingularemque ſcribendi normam, quam quisque auctor ſibi aſcivit, quam non inepte ſcribendi voluntates dixeris, ut *dicendi voluntates* eſſe varias, ac multiplices dixit Cicero: quodſi inquam de hac imitatione ſermo eſt, vix inter ſe miſceri debere haec genera, neque quod caeptum eſt facile diſſolvi oportere exiſtimo. Fiet enim ſibi valde diſſimilis orationis color, cumque aliena, & mutuata eſſe, quae nondum ſatis ſunt conciliata, ac quaſi concocta, facile appareat: qui multa ex variis ſumſit, eum inſulſi, ac laborioſi compilatoris ſpeciem praebere eſt neceſſe; qui ſi unum duntaxat ſectaretur, hoc ipſo ſectae nomine poſſet cohoneſtari. Adhaec quaedam ſcriptorum virtutes ita ſunt cujusque privatae, ac propriae, ut ſi accuratius, nec communi quadam ratione penſitentur, non modo variae, ſed propemodum inter ſe contrariae videri poſſint. Ovidii munditia, ſi accura-

curatiſſime illa cognoſcatur, praeter cetera etiam eſt in fuga earum rerum reponenda, quae ſibi Catullus, & alii permiſerunt; cum ſuae quisque naturae obtemperaret, ut jam ſupra de Naſone diximus. Nimirum tanta celeritate, & frequentia uberrimo illius ingenio praeſto erant rerum formae. atque eae imagines, quae aliqua ratione ad propoſitum pertinerent, ut ob ipſam turbam pati non poſſet eas coagmentandi laborem. Sed cum ita praecocem quaſi partum eniti properat, multa ſic cadebant, ut decerent, & ſatis per ſe conjuncta eſſent; alia vero non item, quae nec ſatis intelligi poſſunt, niſi nectantur; nec ita reſpiciunt inter ſeſe, ut apte necti poſſint. Intelligimus igitur ipſum Ovidium vix aliud genus in poteſtate habuiſſe. Deniqua nativus candor multo maxime in eo deſiderabitur, qui tam promiſcuae ſe tradiderit imitationi: ubi enim ad aliquam modo normam informata eſt phantaſia, omnis ei morigerabitur cogitandi ratio, quin nova ſoleat, ac diverſa intercedere; atque ita deinceps quaſi in naturam abit, ex eaque ita omnia proficiſci videntur, ut ei,

qui characterem ſequitur, ac profitetur, veniam dare earum rerum ſoleamus, quibus in alio affectationis fortaſſe notam inureremus. Quodſi vero nemo eſt praecipuus, nec omnes promiſcue imitari expedit, quidnam igitur denique ſequendum? Aut num omnes reſpuendae ſunt imitationes? Primum illud obſervo, nemini uni, quod ego ſciam, contigiſſe eorum, qui Naſoniani ſunt, ut Ovidium plane aſſequeretur. Cum enim tot ſint hujus Poetae imitatores, quorum duntaxat eos enumerabimus, qui inter principes haberi aut poſſunt, aut ſolent, quales Hoſchius, Heinſius, Dominicus Baudius, Jov. Pontanus, Liv. Mayerus, Lotichius in quibusdam, Eobanus Heſſus, Buchananus in quibusdam, Morhoſius, Franciſcus Xav. Müllerus, exigui quidem libelli Auctor, in quibusdam etiam Secundus, & Hermanus Hugo, aliique: non modo tamen nemo totum expreſſit Ovidium; ſed & ipſi imitatores adeo inter ſe diſcrepant, ut quaſi nihilo magis Tibullus a Propertio, & ab utroque diſtet Catullus, quam recentiores Poetae inter ſe quisque. Nimirum alias,

atque alias res obſervaſſe quilibet, ac notaſſe in Auctore ſuo videtur: ad quod cum etiam indoles diverſa, ac natura acceſſiſſet, eo factum, ut Ovidii virtutem aliam alius propius aſſequeretur. Ad Ovidii dictionem ſatis acceſſit Livinus Mayerus; ab ingenio longius abeſt: ingenii multum eſt in Eobano, & Morhofio; at non tantundem in hoc ſtyli Naſoniani; neque in illo munditiae: alia in, Heinſio ſimplicitas, alia in Hoſchio. Idem ferme Catulli, Tibulli, ac Propertii imitatoribus contigit Heinſio in Monobiblo, Secundo, Bembo, Vulpio, Broukhuſio, Fracaſtorio, Flamminio, Pignae, Jano Pannonio, Rotio, Nicolao: ut mirum ſit in re tam pervulgata etiamnum novas ingeniis patere vias potuiſſe. Alterum eſt illud, quod animadverti velim: Poſtquam ſuum rebus ſtatutum eſt pretium, cautumque ſatis videtur, ne imperitorum arbitrariae valeant opinationes, cum re parum excuſſa, ac veſtigata, caeca aſſenſione ineptis obſervatoribus adſtipulantur, ut alios Auctores e familia movendos putent, alios nimia admiratione propemodum adorent, eorum-

que unicam normam prorſus neceſſariam bonis Poetis credant: his inquam diſceptatis, ac depulſis, deinceps aequiſſimo animo quibuslibet utor, & ab omnibus abeſſe invidiam velim: ut ii ferme faciunt, qui latinitatem in ſcriptoribus argenteae aetatis negant parem aureae eſſe: at iidem tamen libenter quoscunque volvunt, commendant, atque etiam commentariis illuſtrant: nihil eſt enim unde fructum capere recte admoniti non queamus. Certe de omnibus iis aureae aetatis Poetis praeclariſſima judicia litteratiſſimi Viri fecerunt. De Catullo, ac Propertio ſatis nos multa diximus: Ovidium ſic ornat Scaliger loco citato, ut paene unum admirari videatur: Tibullum vel eam ipſam ob rem, quod nihil peregrinum ejus ſermo habeat, plurimi ante ceteros mirantur, ut oſtendit P. Jacobus Pontanus, Attic. Bellar. Part. III, Synt. V. editionis Auguſtae Vindelicorum 1620. pag. 438. Non igitur cujusquam lectionem, aut imitationem nos diſſuademus, ſed optimum quemvis probamus. Imo neminem ſine multa, ac ſagaci imitatione aliquid vulgo majus affe-

cuturum putamus : naturam enim rudem, & impolitam optimis exemplis primum fingere, imbuere, ac, locupletare eſt neceſſe. Tum vero ubi ſatis demum in ea re eſt elaboratum, quod multorum eſt annorum, longe relinqui iſta cum nucibus oportere exiſtimo, ne cum proficere in caeptis, ut natura ſolet, incipiemus, etiam in ſtudio aliena potius, quam noſtra proferendi proficiamus: cum tamen natura nemini alteri tam ſimiles nos fecerit, ut nobis ipſis. Itaque ſi noſtris relictis ſequeremur aliena, quae nunquam ex toto tenere poſſumus: haud dubie nec veteres aſſequeremur unquam, nec nos, noſtrosque ſuperaremus. Hoc enim egerunt antiquorum praeſtantiſſimi quique, ut, cum a Graecis ſatis ſibi eruditi viderentur, deinceps ſuomet obtemperarent ingenio. Nam quamcumque rationem ingreſſus fuerit vegetus animus, modo haec ei ſit naturalis, feliciter rem perducet ad exitum. Idem & nobis ſane agendum. Tria autem ſunt maxime, quae ad genium referam; primum ſpecies, & formas, quibus viſus, ſeu phantaſia imbuitur, quae in aliis ſunt ſubtiliores, expreſſiores in aliis,

diverſae propemodum in omnibus: tum vero ordinem, ac diſpoſitionem eorum, quae cogitata ſunt, quae in aliis ſunt plura continenter, in aliis ſparſim fuſa: ac demum animi affectiones, quae quamvis ſententiam aut excitant, aut comitantur: in quibus ſumma iterum amoenitatum varietas, ut alii alia re aut aliter afficiuntur. Haec ferme efficiunt, ut nobis ipſis obſequi magis, quam aliis, qui floruerunt, debeamus. Floruerunt autem ii maxime, qui ſuismet viribus plurimum ſunt uſi. Itaque ſiquis animum rerum formis cum accuratiore verborum notitia implevit, atque etiam ad eorum facultatem memoriam, & phantaſiam inſtruxit: ſi deinde ingenium optimorum Auctorum exemplis inſtituit, delectuique habendo aſſuefecit, ac denique ſi judicium quoque artis Poeticae, & Criticae limatа, accurataque tractatione firmaverit, ſique his omnibus acceſſerit multus uſus, & maturitas: is jam deinceps non puto aliunde, niſi ab ſuo animo, atque ab re ipſa, quae prae manibus eſt; formam capiat, nec aliud niſi haec duo intueatur.

EIVSDEM

ELEGIA I,

SOMNIVM DE IANO MONTIGENA, SEV AMICI DIV ABSENTIS MEMORIA.

Somne, tibi grates! Triplicis poſt tempora brumae,
Queis eſt pota mihi Mindala (*), mox Iſara (**),
Heu quantum a Nicri diſtantes flumine rivi!
Janus ubi confors, dimidiumque mei;
Janus, amor Phoebi, celſis de Montibus ortus (***)
Sacra Deo, inque ipſo paene facit gremio.
Aſt ego diſcidio tanti cruciatus amici,
Quicum nil dubitem dividere hanc animam;
Ut poſſem propiore larem conjungere tecto
Infidis quoties ſunt data vota Notis!

(*) Mindelhemii. (**) Monaci. (***) E ſtirpe Grandmont.

Digitized by Google

Hunc tu tot ſpatiis procul hac ſtatione diremtum,
Somne, repens Janum ſic mihi reſtituis,
Ut nequeam vidiſſe magis, mihi ſi arduus illum
Bellerophon volucri ſiſteret e ciſio.
Qualiter Aegiden penetralia Ditis adortum,
Dum videt inſtantes Pirithoo furias,
Nec minus ipſe gravem trepidat Minoa, repente
Erexit veniens Amphitryoniades.
Credita vix ſpecies illi incedentis amici:
Aſt ubi de manibus vincula diſſolui,
Inque vicem collo conſpexit brachia circum,
Quaeque nova erudiit baſia Virgo (*), dari:
Tum vero excutiunt Heroi gaudia mentem,
Vitaque particulis plus fuit aucta tribus:
Sic, dum Montigenam praeſtas ex tempore Janum,
(Quem procul usque oculis fruſtra, animoque fero)
Et vultum mihi, Somne, Viri, fructumque redonas:
Vix equidem tot ego laetitias capio.
Cuncta ſimul redeunt animo: conſtantia, candor,
Et ſtudio, & dubio tempore certa fides,
Jam pietas in me, probitas jam cetera morum,
Jurgiaque, ut Charitum Palladis ante fores,
Propitii vultus, latebriſque arcana retectis:
Cetera quid dicam, quaeve juvant teneros?

(*) Omphale.

Quaeve juvant ſimiles? Triplicis ſed tempore brumae,
Dum procul eſt, ſenſi funditus effluere
Illecebrae genus omne: nec illa inductio ſenſus,
Sed ſuper ex tota ſolus amicitia
Solus amor Jani fuerat. Me cura momordit,
Culpa relanguentis ne foret haec ſtudii.
Nunc ſcio: nil minuit mora; nil disjunctio, tantum
Dum fuit ad ſpecimen, Somne, tibi reliquum.
Atque ſoles equidem (juſtas non ſupprimo laudes)
Somne ſoles hominum pingere tam graphice
Et ſtudia, & mores, & ubi ſors laetior inſtat,
Quidnam animo ſapiant interiore, refers.
Sæpius ut tua jam vigilans figmenta probarem;
Forte nec exſomnis tam bona conciperem.
Sed nihil ad Janum mihi, feliciſſime Pictor,
Quidquid adhuc dederas luminibus, nihil eſt.
Pace tua dictum. Fateor namque ipſe viciſſim
Non, puto, tam bellis verſus imaginibus
Sufficiet meus. Haud mihi ſunt tot amoena vireta,
Nec vada, nec montes, quos pede tranſilui
Praepete te, Morpheu, citius quo littore ſtarem
Vernantis Nieri, namque ibi noſter erat.
Nec diu, non viſos unquam, perluſtro Penates:
Scilicet adventus tu fueras monitor,
Obvius ut nobis prior ipſe veniret; at o quis!
Vix puto ter quondam ſic mihi viſus erat.

Accinctusque togam, volucerque, nec unctior unquam;
Non ita ovans alias, non ita ſidereus:
Ore ſales, riſusque genis, oculisque ſcatebant;
Nictus: haud tota copia quanta Cnido eſt.
Hic ubi me fratrem, erravi, fratercule, dixit;
Protinus haud ulnis ſegnibus implicitum
Bis ſimul amplexu ſtrinxit, ſimul (haud ſcio certum)
Num tetigit ſummo forte genas labio?
Nil aliud certe; ceu mos eſt fratribus; iſtum
Namque intra ſemper ſe tenuit modulum.
Aſt mihi, quod ſedeat mens illi priſtina, certum
Dum fuit, haud egui ſponte ruens ſtimulis:
Invehor, amplexusque hoc pectus, utrumne volarim,
Neſcio: ſed certe pondere caſſus eram.
Senſit, & optanti plus ſtringi praebuit ipſe:
Quem lateri jungens, unus ut alipedum
Aere ſublatum medio ad praecordia preſſi,
Viſus ab attactu ſugere dulcem animam.
Sed Jani abſceſſu caperem ne deinde dolorem,
Somne, reor ſubito te retuliſſe pedem.
Nunc quoque, dum vigilo, mihi gaudia noctis inhaerent:
Nec dubito, tali eſt pectore Montigena.

ELEGIA II

IN OBITVM
IANI MONTIGENAE,
ET LAVDES
GITHIVTI VALLIGENAE,

Inde ubi Montigenae morborum examina contra
  Nec jam certa ſides (quae fuit in gemitus
Eheu tarda nimis) mea nec longinqua timentis
  Cura, & jam nullis ars medicaminibus
Dulce caput letho potuit ſubducere, & atrae
  Legi Erebi orbantis: quod tamen immemori
Nec deploratum non ſane is tradidit urnae;
  Quando jam labiis pronus in Elyſium
Ultima, candidulo quae ſcribi vellet amico,
  Dictavit ſtabilis pignora amicitiae
De ſibi fatali tenus Iſtro (*) abitura Friburgo
  Reſponſa, o quoties humida lacrimulis

(*) *Neoburgum verſus in Palatinatu, quod Danubius alluit, Friburgo Briſgojae, ubi obiit, neque tamen cum morte Poetae fama concidit, litterae venerunt*

Rurſum facta meis, iterataque collacrimantum (b)
Non ſine lugubri planctu Heliconiadum!

Aeter-

(b) *Cum eodem in Palatinatu ibidem Poeſeos tum Profeſſor verſarer: inter alios ex Diſcipulis illic meis quidam Henricus Seehſerus hunc Defuncto leſſum ceciniit, quem iſthic adſeribere non piget, tum ut verbis teſtimonio aliquo fides conſtet; tum ut inde liquere poſſit, etiam adoleſcentulorum ingenia, quae Ovidianum citius arripiunt tenorem, quam Catullianos durant curſus, poſt aliquam in illo agitationem ad ſcabritiem detergendam, deinceps his quoque non eſſe imparia. Sic ille tum meo uſus nomine complorabat:* (†)

(†) *Ergo etiam flernendus eras, medicamina fruſtra*
Expertus, tu, cui Cynthius ipſe dedit
Et cytharam, atque uſum cytharae, cantumque ſonorum
Tamdiu, poſteritas ulla quoad fuerit.
Crudeles Parcae! quas non, quo ſaxa movebat
Cantu, non vitae moribus innocuae,
Aut animi potuit duras candore movere,
Ut torqueretis licia raſilibus
Fuſis longa; etenim duo ſaecula vivere dignus
Vir fuit antiqui moris, & officii!
Heu rapuere mihi fidum fata invida Theſeum,
Quem mihi perpetuo junxit amicitia
Vinclo, quique iisdem meeum ſua nomina caſtris
Addidit, & ſacrae munera militiae

Aggreſ-

Aeternumque ſimul nobis ſua poſtuma munus
Carmina tranſcripſit, queis fore me patruum
Haud

Aggreſſus ſimul eſt, ſed non deponere mecum
Qui potuit; nam mors barbara reſtiterat.
Occubuit: nec ego poteram perſolvere ſumma,
Quae ſibi tantus amor poſtulat, officia.
Non mihi cum lacrymis ſolantia verba licebat
Fundere, non herbas, Delphica terra, tuas
Quaerere; concipere haud potui tunc ſeria pro te
Divis vota, meisque omnia lacrimulis
Impleviſſe. Ah! cum de te jam deſperata
Omnia vidiſſem, quam mihi dulce tua
Complecti ſenſim morientia colla fuiſſet!
Stareque cuſtodem corporis ad tumulum!
Sed prohibebant haec longe intervalla locorum,
Quin etiam morbum neſcins haud timui.
Nunc quoties mihi mens animi ſuſpirat ademtum
Te, quotiesque mihi vivere fas fieret
In coelo tecum, concepi ardentia vota!
Nam ſuper in terris, quo recreabor, erit
Jam mihi nil aequum, nil mille ad gaudia Muſis,
Tamque aptum mihi. Tecum haec periere ſimul!
Omnia primus eras, amiſique omnia tecum!
Occidis! & tecum quot penere bona!
Sed cum ſubtraxit te vita fugacibus iſthaec
Alis: in coelo vita beata iterum

Nos

Haud durum norat, Latio ſeu quae edita plectro
Servabam; ſive haec paucula Teutonicis
Emodulata ſonis: ierant nam cetera ſparſim,
Confertimque manus per varias ſpolia
Rhapſodis forſan; vel quoquo haec differet aetas,
Has etiam exiguas quae mihi relliquias
Lucinam his celerem properanti jam dare, jamque
Pollicitis freto reſtitui vetuit;
In *Muſis* equidem quae ſparſa leguntur *Amicis (c)*:
Sed latet Auctor: & hoc noſcite: Montigena eſt (d).

Nos reddet nobis, amboſque amplexibus ora
Aetherea, & veteri junget amicitia.

(c) Edidit haſce Muſas Amicas Vir de litteratura, & poeſi noſtra Germanica clariſſime meritus, nobisque amiciſſimus, quicum & Montigenae poſtuma communicata ſunt, Joſephus Zimmermannus, in Helvetia Profeſſor: quem tamen haec eadem tempora, ut alios complures, multa, quae deſtinarat, exſequi non permiſerunt.

(d) Idem praeter inedita non pauca Auctor eſt Inſcriptionum Lat. & Germ. in Monimento, Academiae Friburgicae nomine Honoribus Regiae Delphini Sponſae, nunc potent. Galliarum Reginae, quando iſthic commeabat, poſito: quae eadem in urbe Friburgenſi, ubi Viri nomen celeberrimum eſt, praelo vulgatae in manibus

O Salveto, dies dignus provivere plures,
Aeternumque, ſcias ne graviora, vale!
Inde dehinc bona ſors, rear, an natura ciendi
Arte potens, quaequae gens animos pariles
Usquam habeat, viduis mihi conſuefecit ab annis
Montigenae haeredem nomine Valligenam
Diſpare, ſed geminos apto conjungere utraque
Ab regione pares. Hei mihi! principia
Inter noſſe quidem haud licuit, conjunctio quanta
Hunc jam poſt nullo tempore dividuum
Ad latus ignarum cauſis admorit Achaten
Tum mihi fortuitis. Quam meus hic fuerat
Ille rudis ſenſus; quamvis praecordia ſubter
Clam tot jucundis debui imaginibus
Mulceri, cupidis cum me laciebat ocellis,
Diſcendi paetos quos nimia ingluvies
Fecerat; affixusque dies, & neſcins horae
Usque reflectebat mille problematibus
Ter quaeſita; quoad latebras rimatus ad imas
Praeſtigiis etiam res Heliconiadum
Evocet arcanas, quas intra haec pectora condi
Crediderat bona mens, o meliore penu

nibus verſantar. Utinam Ejusdem elegias quoque, ſane nobiles, aliaque carmina colligendi, edendique bona ſors opportunitatem aliquando largitaur!

Digitized by Google

Dignior expleri, mea quam paupercula, quae me
    Fruſtratur toties, paene Eriſychthoniae
Huic poſſet ſatis eſſe fami. Tum haec ſcrinia ſi vel
    Attalicis etiam farta forent opibus:
Nonne voluptatis res eſt dare tam meritoris
    Auribus hanc operam? Quidve magis poteram
Expetere optando, niſi cui mea credere poſſem,
    Ut foret, & mea dum turbine fuſa brevi
Atropos abrumpet, memori transmitteret aevo?
    Haecne eblandiri, flexanimasque an opus
Haec lente propero mihi prolectare per artes
    Tot blandis doctam vultibus èſuriem?
Queis paulum attento mihi jam lingua haeſerit, & mens
    Amiſſas fruſtra Pegaſidum revocans
Delicias; vincentur enim, ſiquando labella
    Aegrius ille premens dulce renidet, & os
Continet a valgo, dum pugnat ſolvere, riſu,
    Numine ſuſpenſi lene ſupercilii
Commendans tacitos, ſiqui placuere, lepores,
    Quod clauſa inficias palpebra non ierit.
Nec ſibi fumentis pugnam ſermone protervo
    Gratia tum minor eſt: volvere ſuaviloquo
Verba rotata ſono, & buccis proflare peritus
    Quantulus audaci cunque Thraſo ſpecie
Cuncta ubi ſuccedunt, rictu diſploſa labroſo
    Projicit in victum tela jocans Charitum

Et mento paſſim, & labri per acuta reducti.
Inque oculis placitam diſſimulare male
Doctis vafritiem, ſudaque in fronte ſedentum.
Atqui nec fuſco hanc tempore deſtituunt,
Cum velut amiſſo facies flaceſcere ſucco,
Temporaque incipiunt rore papavereo
Laſſa madeſieri; aut tacitam mala nuncia curám
Caſibus exercent; tum quoque languidulis
Nec decor a malis; nec abeſt pulcherrima rugis
Temperies; curru quale Hyperionio
Jam complexurae ſub fluctibus Amphitrites
Condere ſe prono, veſperis humidnli
Eſſe ſolet jubar extremis in nubibus: agmen
Dum ſeſe caeli per laquear caperat
Arquatum, gradibusque tumor cadit ordine ſectis.
Aſt mage prae fuſca ſi juvat inſpicere
Veram animi ſpeciem, ſubito vaneſcere caſu
Fac curam, aut ficto crimine, perve jocum
Impingi longe ſecuro talia, quae non
Ludicra per thalamos Morpheus inſimulet:
Tum vero erumpet vox alto vinnula flexu
Splene citi riſus: tum paries nivei
Sincipitis planam glabra teſtudine cruſtam
Porrigit obliquans ſurſum, oculosque tenens
Suſpenſos alto, porrecta tuentibus hirquis:
Angulus at quidam nequior ab latere

Corrugatque genam, nictuque coarguit actum,
Detectasque vias. Tum quod in oſculi hians
Arcte ſe modulum contraxerat ante, rubellum
Jamjam diduci, quod ſatis eſt, labium;
Aure tenus malas pulcher dum ſulcus utrinque
Lirat, & inde parum dentibus eminulis
Pendent devexi clementer acumina menti
In riſus, Regum queis epulae invideant.
Verum alia eſt ſpecies oris ſat plena pericli,
O Muſae, veſtri, neve parum veneres
Vobis noſſe datum ſit, neve expromere cantu:
Tortilis hic nimium eſt, o Heliconiades,
Sicui blanditur, vultus, ſe ubi caeſia gyrant
Lumina, & infixam pupula convoluit
In redamante aciem: neque vis huic maxima nervo eſt:
Sunt alii flexus perque genae tunicas,
Perque parum tectos dubia lanugine ſulcos
Malarum; queis hinc aureus errat, & hinc
Olim forte pilus; nunc toto lactea mento
Simplicitas vernat, daedala tot facies
Fingere, quot lepidae inceſſunt cunque figurae
Mentem animi innocuam: nec magis eſt alia
In formas agilis; nunc ceu pingueſcere bucca
Lene rubente parans; nunc velut in teretem
Se cuneum oblongans acclivia lubricat ora:
Nunc dulcem lubitum flexibus ingenuis

Prodit, mille plicis varians ſinuamina malae.
    Aſt illa ante alias illecebroſa magis
Effigies, ſulcos quando inter amaena tuentis
    In medio ſidit ſcrobs foveae orbiculo
Impreſſae ſimilis. Quis, ain', mirabitur, Iſte
    Siquem non cunctis ſenſibus exanimem
Jamjam alioqui etiam cunctantes natus ocellos
    Furtim millenis obruere illecebris
Diſcipulus talis, nec ſcaeva mente magiſtrum
    Duxit ad ambroſium foedus amicitiae?
Quam bene connubii dicas genus: extima primum
    Seſe pellaci fronte ſuperficies
Objicit, o Divum munus! ſi ferre ſenectam
    Dulce aliquid poſſet. Verum ubi deinde patent
Conſortes animi, conſcitaque foedera fati
    Lege catenata, ac mille ligaminibus
Abdita; quale Pater textum Liparejus ipſe
    Non poſſet cuiquam tectius induere;
Et ſubitis comperta fides occurſibus, atque
    Rerum omnis, quasquas fors tulerit, vel opus,
Conditio ſimilis; tumque ingenioſa merendi
    Sedulitas, nutum ſuavibus anticipans
Officiis, & conſiliis fecunda catis mens;
    Sed neque curarum tam memor in ſerice
Aut ſtudium, aut cor: haec ubi dein patuere, crepundiis
    Cuncta velut miſſis Dulcia principio

Deliquium faciant ; & firmior occupat aetas
    Conſtantem ſenſum. Sic mihi prima quoque
Plurima celarat facies, quando extera ſolum
    Tot mihi multimodis ludicra tendinibus
Monſtrabat fruſtra tam diſſimulanter amanti :
    Nam ſuberant multo plura ; dehinc breviter
Quae patuere, locum ſimul ut dare fatibus aequum
    Cerea mens caepit. Tum ſibi candiduli
Reſpondere animi, tum vincula cognita, queis jam
    Ante teneretur quisque ſub obſidio,
Quam genus, & patriam noſſet. Neque ſic longaevae
    Brachia dat quercu circum hederacea frons,
Perpetuis vetulam dum circumplexa corymbis
    Truncum (ceu thyrſum nacta ſibi juvenem,
Quicum Eleleidas inter itura ſequacibus ulnis
    Sit comes ad madidos Baſſaridum Thiaſos)
Serpit in officium rami, atque a cortice turpem
    Defendit brumae calvitiem, viridi
Leniter obnubens horrentia membra decore.
    Non fruſtra (ut volvox palmitum acuta lues)
Corticis in rima pactis radicibus imas
    Undique flexipedes inſinuans cochleas
Permeat ad fibras : neque ſic depaſcitur annos,
    Acceleratve pyram quamlibet in ſenium
Jam curvae ; ſed ubi vel ſuccis victitat iisdem,
    Excitat effoetae vix docile ingenium,

Et vegetae obleſtat rugas ardore juventae,
Dum juvat eſſe una, dum juvat eſſe eadem;
Atque ullis negat eſſe bipennibus extricandos
Conjunctae nexus tam ſibi Hamadryados (e),
Fata utriusque eadem; neque ſe ceſſare reciſae
Stringere relliquias; ſecta niſi in globulos (f)
Membra abeant teretes, alienaque brachia ſervent,
Solamen udis utile fonticulis,
Tum quoque conſtantis ſervantia munus amici.
Sed neque ſic haeret quercu hederacea frons,
Nominibus cunctis mihi primo ſemper ab uſu
Haerere implicitum Valligenam ut memini.

(e) *Erat enim antiquis perſuaſum, Nympharum Hamadryadum vitam cum arborum, quibus praeeſſent, fato eſſe conjunctam.*

(f) *Solent hodie multi ad fonticulos, cute in brachio, pedibusve &c. inciſa, jugiter alendos, ciendumque humorem globulos e ligno hederaceo adhibere.*

ELEGIA III

SOMNIVM

DE

GITHIVTO VALLIGENA,

in Sororis Ejus, & eodem tempore etiam ſuimet Fratris Nuptias.

Paulum aberat, ſpetio mihi demtus paene bimeſtri;
Si demtus, quando redditus ille fuis,
Imo Meis, jam de reditu promiſſa reliquit
Certa ſetis, ceu ſunt edita Valligenae
Ore, quoad memini, cuncta. At vel tantule tandem
Tam bene ſecuro tempore mi morula
Quam gravis acciderat! Memini: nam ſude temetſi
Mens ſeſe nulla ſenſerit implicitam
Aut cura, aut ſtudii fixam irrequietis aculeo,
Sed, ceu jam nubes, omnigenaeque animae
Vertice Theſſalii nullee luctantur Olympi,
Sic ſe Socratica temperie plecidam,
Et tumidae vacuam Stoae juxta, atque tumultus
Anxiferia ſoliti pectora concutere
Turbinibus, quos gignit amor de corpore cretus
Quo dein cunque; nec hilum intererit, vegeto,

Arentine: etiam crudo vis quanta metallo eſt!
Aſt ibi tam recto dum pede prorſus eunt
Omnia, ut ira, metusque, & ſpes merſae aequoris imo
Eſſe viderentur: mi tamen usque vel hic
Deerat, & usque aliquid: neque mens ſedata rogabat,
Quidnam, aut, quod toties vellicet, unde foret.
Et tamen o ſuberat! Deſideriumne negabo
Acre, ubi ſolator Morpheus, aut taciti
Proditor acceſſit morbi: licet eſſe pudori
Hic nequeat Sophiae tam cicur, & tenuis,
Inſomnii tantum qui ſuſpicione laboret:
Quam veram eſſe licet, cum mihimet fuerit
Altera nulla aeſtus vis obſervabilis ante,
Dum non praeſto fuit: quo caruiſſe mihi
Saepe videbar, ubi praeſto fuit, aequam adeo mens
Se ſibi perſuaſit; Talis Abyſſigenae *(a)*
Haec quoque viſa. Tamen valeant Triſcurria ſomni!
Non pudet, o valeant! nam mage laetitiis
Eſt quibus incedam, naturam ubi ludere cerno
Vel ſictis veram ſemper imaginibus.
Tempora, jam functus bene ſpiſſo munere lucis,
Forte dabam in laevum ſemiſupina latus
Pulvillo molli; cum ludicra protinus urget
Scena; ubi namque gradum poſtibus extuleram

(a) Idem, qui Valligena, nam utrevis nomen valet.

Somnipedem, ceu contigua juncti aede cubilis
Limina preſſurus; nempe ubi Valligena
Multus erat: mox Circaea traductus ab arte
Stabam quam longe diſparis in foribus
Aedis, Fagineae qua tenditur extimus Urbis *(b)*
Angulus in laevam: ſed neque tam celeri
Sive viam in curſu licuit, ſive arva notare,
Praediaque, coetuque inclyta Parthenio
Atria, nec placidum qua volvens Canzacha rivum
Jam dudum claro virgineas properat
Danubio miſcere undas; nec te Lacus alme,
Pennigerae quo non aptior ingenio
Gentis, ab altrici merito Tibi munere nomen
Plumati priſcis de proavis retinens *(c)*;
Nec te multilares juncta inſula propter Apellas *(d)*,
Ceſpite vah fruſtra hic conſita tam viridi!
Rectius illa Palus hanc proxima lingeret oram,
Quae venit inferior, germine caſſa bono,
Verum ulva humidula ſquallens, fruſtranteque junco
Foeniſecam falcem. Quam vetulis ſtatio

(b) Urbs Suevica Buchavium, quae a fagis antiquitus nomen accepit.

(c) Lacus vulgo Plumarius dicitur: Germanis, der Federſee, e quo flumen Canzacha brevi tractu manat.

(d) Quibus non uno tantum in contubernio, ſed & uno in cubiculo plures eſſe familiae ſolent, quae inter ſe rem curtam partiuntur ab agricultura alienae.

Innuptis métuenda! ferunt uligine in illa
Quas fieri invito pectore Limniadas *(e)*.
Et tamen e ſterili gens ingenioſa fruteto
Eruderat pyrii fruſta ſoli, laterum
Exſecta in formam *(f)*, ſine flammis ignipotente
Praedita vi, furnis pabula lignivoris.
Quanam igitur veni, qui nil haec omnia vidi?
Nam neque Te Vallis Planctiferae memini
Martia Planities *(g)*: qua me via ferre volantem
Debuerat. Quin & tam patulas reperi
Ultro fores, ut nulla domum pomaeria circum
Spectarim. Cunctans in penetrale tamen
Continuo irruere, ante jocos, riſusque Sororum
Valligenae ſtreperos auribus haud equidem
Non hauſi argutis. Tum me advena prodere tuſſi,
Atque ſcreatu aliquo; quo foret introitu
Prima verecundo tum deinceps gratia major,
Fruſtra: namque illae: Nunc ehodum bene ſit!
Ajebant, audin? rurſum ſcreat: accipitote
Laetum omen; ſpectrum fauſta ferens, tot abhinc

(e) *Quo nomine Nymphae Paluſtres compellabantur.*

(f) *Torfum vocant indigenae, quod pro ligno fornacibus ingerunt, qua de materia non pauca jam exſtant commentaria.*

(g) *Quo in loco magnum olim commiſſum eſſe praelium, ſtragemque editam, fama fert, & monimenta quoque, etſi paene oblitterata, confirmant.*

Non auditum annos, redit ecce! Erumpere certant:
Tam, credo, fuerat nulla boni Lemuris
Formido dudum ante domi. Sed comminus intro
Dum feror, en pleno gutture Abyſſigena:
O Manes praeclare meus, mihi, clamat, aveto,
Hic ſimul agnoſcor & Charitum Triadi,
Gaudia quas pleno titubabant agmine circum,
Emeritoque Seni, qui juvenem poterat
Aeſona, canicie celata, vincere, & Ipſum,
Quem colit, exuviis Phoebigenam poſitis
Angue Coroniden (h) ſub verſicolore reverſum
Tibridis ad ripas: arte ſalutifera
Non ignobilior, quam hoc dignum Evergete: quicum
Et meus ille colit Sacra eadem Genitor
Indole par agili, devexis quamlibet annis,
Sorte etiam ſtudii, Partheniaeque Domus (i).
Tam mage cum Natis, quas exemplaria Coo
Artifici (l) dicunt, Valligenae vetulus
Ille Sator, tanti me nexus jure propinquum
Complexus cunctis obruit officiis.

(h) *Aeſculapius, quem ſerpentis ſub forma ad ſe navi transvectum Epidauro, Romani crediderunt.*

(i) *Alter Halae ad Oenum; alter Buchavii.*

(l) *Is erat Apelles, quem ejusmodi exemplorum ſatis curioſum nonnulli faciunt, ut hodie Gaglianum.*

Digitized by Google

Turba domus parvae, dum geſtit quisque, viciſſimque
  Involat in gremium, ceu trijuges teneris
Inter ſe excipiunt per colla ſororia palmis
  Eurynomes natae, tam mihi viſa frequens,
Tamque joci undabant, vario tam laeta tumultu
  Gaudia denſebant, perpetüis ut ibi,
Perplexus dare verba, vicesque rependere ſcitas,
  Volverer, incertum denique quo, thiaſis.
Ilicet unanimi video me turbine vectum
  Odeum in quoddam, feſta ubi mundities
Undique qua croceis, qua puniceis aulaeis
  Strata per, & bifores circuitus laterum,
Circi in morem, oculos tenuit novitate morantes.
  At ſubito ex alia fit regione ſonus
Melleus, harmonico tanquam omnes impete chordae,
  Plectra, tubae, tibiae, atque organa Pegaſidum
Certarent, primum ceu lentius incedentum:
  Tum glomerare melos jam magis, & propius
Ingruere. Ignarus cauſae nova mira cientis
  Dum reor, ut norim, cuncta ſore in manibus,
Et mihi duntaxat quaeſito opus eſſe, rogantis
  Nullus adeſt lateri Valligena, atque iterum,
Dum miror, fuerit quorſum illi ventio, num quid
  Phonaſcos inter ſitve, requiro, rei,
Quaeve ejus partes: en binas unica praeter
  Non mihi viſa Soror; nomine nec poteram

Digitized by Google

Hanc revocare ſuo. Dilapſam quaerere coet
Dum pertendo fruſtra: en vacua evigilo
Lintea ſola manu retinens. Haud deinde tabellas
Multo poſt miſſas moenibus e patriis,
Vel muris potius citra vallum, & moenia tutae *(m)*
Urbis Caeſareo tegmine Fagineae
Accipio, agnoſcoque fidem, & ludibria ſomni
Juncta ſimul fidei: non etenim caruit
Rebus imago ſuis; connubia quando Sororis
Ipſe gerens ſacri rite vices Hymenis
Inter Abyſſigena inceſſus, cantusque jugales
Cum bene firmaſſet, continuo patriis
De laribus jam manſueti domiducus abierat
Cum Nupta, ad *Montes* cui via *Florigeros* *(n)*.
Sunt haec vera quidem. At tu parce, atque invide Somne,
Nuncia qui abſenti vera quidem, & propere
Attuleras, ac ſponte tua: tamen his quoque factis
Dimidiae paenas nonne dabis fidei?
Quae bene caepiſti, cur non abſolvere curae,
Cedo, fuit? Medio in flumine laetitiam

(m) Cum inter S. R. Imperii Urbes cenſeatur; tametſi ceteroquin Vallo & moenibus omnino careat oppidum.

(n) BLUMBERG loco nomen, quo cum Marito mox ab epulis nuptialibus eadem die nova Nupta commigravit, haud procul a Fonte Danubii, atque Urbe Donaueſchinga.

Cur ſubſtrinxiſti? Teneros cur agmine Sponſos
Tu mihi ſubduxti, Valligenaeque oculos
Tum certe uvidulos? neque verba ſuprema precari
Coenaturo alibi; ſed neque paſſus eras,
Flammea quam deceant capiti modo ſumta pudico,
Cernere tantiſper, quaeque animum poterant
Paſcere Abyſſigenae generi cupientis amicum?
Anne ubi deficiunt tot tibi, delicias
Queis avidum irritaſti, mi ſatis eſſe putabas?
Hem mala verba tibi praemia mancae operae!
Si deſiderii veſtigia vera notaſſe
Cognitor arguto bellus ab indicio
Es tibi viſus: ain, tanto ſtudioſius iſti
Nunquid oportuerat te medicari animo?
Non, age, tute illum noras, pars altera mentis
Qui noſtrae, &, quotquot fetibus Aonio.
Inſtitui quondam niſu dare luminis auras,
Communis mecum, & mi geminus pater eſt?
Idem & Lotichio praeli, lucisque *(o)* repertor,
Ipſe ſuum nomen cum premeret tenebris.

(o) Cujus editionem vetere haud paulo locupletiorem, ac juventutis uſui potiſſimum accomodatam curavit Dilingae, additis animadverſionibus, quibus Poetae praeſtantiſſimo nova lux affunderetur, ſane quam ſcitiſſimis: quamquam id negotium ceteroqui operarum imperitia non omnino ex Editoris abſentis ſententia ſucceſſit.

Quin laris, atque foci quoque conditione jugari
Ut queat, o ſuperi, quale iter haud timuit!
Quae quidem uti ad factum res diffita cedere, & aptis
Congruere ut poſſent omnia temporibus,
Quantum ego votorum calida de mente profudi!
Quae coiere tamen cuncta ſuis vicibus
Intexta; ut cenſu domus una venire ſub uno
Non mage poſſit, & hic tempora quam placide
Egimus unanimes, dura omnia compenſantes,
Et quoties caſſam riſimus invidiam!
Nunc age, Somne, iſtoc quid praeſtas foedere junctis
Et ſemper ſuetis incidere in parilem
Eventum? At natura, tibi quod deſuit, ipſa
Supplet, ut experiar, diſcere quod reliquum,
Si bene monſtraſſes, fuerat: namque ipſe hymenaeis
En ego fraternis arbiter interero:
Nec de Valligena, in fidas ubi fervidus ulnas,
Teſtis, naſcentis ſe vada Danubii,
Et paſſim fruſtra clinatis Najadas urnis
Sicco palantes littore contuitum,
E patria remearit humo, rogitare minutim
Cuncta opus, & ſenſus elicere ex memori
Tunc erit: ipſe meis (aderunt cras eſſeda praeſto)
Uſurpabo oculis omnia, & hanc morulam
Penſabo belle: dum, quod fuit ille Sorori,
Hoc ego ovaturo Fratri itidem fuero.

Tam rurſum natura pares facit hic quoque: Nonne
Cogimur aeternis fatibus in corio
Altricis Nymphae inſcriptas cognoſcere leges;
Dum liquet hanc ſeriem tramite fortuito
Tam bene non potuiſſe rei coeuntis in unum
Componi? Ergo pedes per juga nunc volupe eſt
Undique cana licet glomerare, & vincere brumam,
Et quos amfractus tarda Matreja facit (p).
O Brenni fauces, clari Speluncaque (q) Montis
Exactrix, viſu (non iero inficias)
Horrida, & hirſuti facie torviſſima clauſtri.
Utrinque impoſitos cernis ubi ſcopulos,
Atque hieme in primis dura inclementibus auris,
(O volucrum fugito hinc alſia progenies!)
Quis tibi, quo poſſes tamen allectare colonum,
Teque adeo hoſpitibus crederet eſſe piam?
Aeſtatem & contra olim, Titanisque calores
Perfugium magnis nobile Principibus,
Nunc etiam Pario candore priora dediſſe
Marmora, quaeque Oeno fert traha, quaeque Iſarae,

(p) *Vetus Matrejum, jam & Romanis notum, quo quidem Oeniponte proficiſcentibus difficilem aditum Venuſti Montis amfractus efficiunt.*

(q) *Eſt in his faucibus caſtellum cum telonio, antiquis Germanis Lueg, id eſt, ſpelunca dictum. Certe apud Otfridum L. II, cap. 11. v. 46. Scahero luage, Speluncam latranum notat.*

Danubioque; dehinc magnas rediviva per urbes
In priſca ora novi Praxitelis manibus.
Quantum ego vel niveo rurſum laetabor amictu
Cernere te ſparſam; perque means glaciem
Ambigui inſpiciam cunabula limpida Sillae (r),
Ardua perque jugi me penetrans Iſacham
Pulſantem vivo glaciem de fonte videbo,
Jam Pater indomitum monſtrat hic ingenium,
Quando ita praecipiti jactu ſalit acer in urnam;
Voſque Tridentinos jam monet ille obices (ſ).
Hocque ſpecu montis, ceu quondam mollia nudis
Terga ſali ſcopulis, nec rea litigii
Brachia materni religatam (Najades iſtud
Concinnare manu vos potuiſſe?) genas

In

(r) Sillae fluminis (ut nunc vocatur; antiquitus enim etiam Rhetium appellatum reperio) quod infra Oenipontum in Oenum decurrit, ſcaturiginem alii verius ex ipſo Brenno arceſſunt: alii fontem cenſent illum, qui infra Brennum ex valle manat.

(ſ) Iſacha enim praecipiti aquarum impetu procurrens, & quaecunque ſibi obvia reperit, ſecum abripere ſolitus, Atheſin quoque in quem effunditur, rapidiorem facit, ut ſaepius jam moles a Tridentinis ei objectas disruperit. Olim hoc flumen Atagis, Hiſareus, atque etiam Itargus vocabatur.

Indignoque diu perfuſam fonte nitentes
   Andromeden ſimul ut vidit Abantiades,
Cautibus exſolvit victor, ſponſamque volucri,
   Tergentemque oculos ſuſtulit alipede:
Sic meus hocce ſpecu Frater, quam Caſſiopaea
   Belle fuſca fuit, tam ſibi candidulam
Qua facie, qua mente proba, tum cetera prorſus
   Cephejae ſimilem jam ruit ut redimat.
Digna tibi certe Virgo eſt, Hymenaee, rotatis
   Cur hilarem gyris concutias faculam.
Quam mihi laeta hoc ingenio facit otia talis
   Fratria, & urbano res procul ab ſtrepitu
In tuto ſejuncta: breves ubi pompa meabit
   Circuitus: verum vultibus, atque oculis
Magnus agon erit, acceſſu centum undique feris
   Invidiae clauſo, ac triſtibus arbitriis.
Mox erit, interea Githiuto (t) urgente veredos,
   Hoc caput extremum, ſumma ea laetitiae.

(t) *Quod Valligenae cognomen apud Otfridum l. I, c. 10, v. 5, & l. II, c. 12, v. 3 GIDIURTO effertur pro GITHIUTO, Sed cum male huic reſpondeat ſequentis verſiculi exitus LIUTO: veriſimilius fit, utrinque legendum eſſe GITHIUTO, ut in aliis paſſim apud eundem hanc vocem ſcriptam, & illi verbo LIUTA in verſuum fine conſonantem inveniat;*

Ut Laris ad docti pariter conjungat utrumque
Incolumes foculos una dies reducem.

niat; maxime cum idem, quod Francotheotiſcis GI-THIUTHO, hoc Maeſo-Gothis THIUTHIDA notet, appellatione ab eadem vocis origine deducta: quamquam nec Gidiurti nomenclatio ab eodem ſignificatu abhorreret,

Digitized by Google

IANI MONTIGENAE
DIALOGVS
HYMENIS, ET VIATORIS
EX
EPITHALAMIO VNIVERSITATIS FRIBVRGENSIS
NOMINE
REGIAE SPONSAE M. ANTONIAE ILLAC COMMEANTI
CONDITO.

Pictura adumbrabat ſpecula gemina, concavum, *ut vocant, alterum, alterum convexum cum Sereniſſimi Delphini, & Regiae Sponſae Imaginibus, quarum ex radiis in medium rejectis tertia imago minoris formae utramque colligens effigiabatur hac addita Inſcriptione, qua Hymen digitum intendens percunctantem Viatorem docet.*

V. Dic mihi, pulcher Hymen, quis ibi nimiumque minutus,
Et nimium, ah nimium bellulus, o ſuperi!
Proſpicit inter utrumque vitrum, medioque renidet
Aere, & ad ſponſum ridet utrumque puer?
Nempe puer. *H.* Puerumne vides? *V.* Niſi forte puella eſt;
Neſcio pol. *H.* Mihi ſi credis, utrumque vides.

V. Forma an vivit? *H.* In his. *V.* Quod habet, dic nomen?
H. Habebit,
Quod deceat, nomen dulcis imago ſuum.
V. Euge, nimis brevis es, da plura, & apertius, inquam.
H. Ergo roga; pandam, quam licet, & potero.
V. Quem video, quis is eſt? *H.* LODOIX, ANTONIA, juncti
V. Ecce, iterum, quod mens non capit iſta, refers.
Nam quis junxit ibi, quos hic proſpecto ſeorſim?
H. Laetus Amor flexo junxit utrumque foco.
V. Ergo duos video? *H.* Sed eadem in imagine junctos.
V. Junctos? *H.* Haec ſed imago altera, non eadem eſt.
V. Altera, dicis Hymen? *H.* Quin plane tertia, namque
Hoc dulcis numero ludere gaudet amor.
V. Quod video, promis multo abditiora. *H.* Sequentur,
Omnia ſi audieris lenis, aperta brevi.
Quam cernis, nihil eſt; aliquid, quam cernis, imago eſt:
Quodque vides, non eſt, eſtque, quod usque vides.
Nunc pulcher LODOIX, dulcis *Lodoiculus* olim:
Nunc ANTONIA, tunc Hujus erit *Soboles*.
Verbo: quam dubitans ibi cernis, imago futura
Res olim, nunc *Spes aurea* Francigenum eſt.

GITHIVTI VALLIGENAE
ONOMASTICON
AD
AMICVM

PRID. CAL. NOV. CIↃ IↃCC LXXI.

Lux Tibi ſacra venit: ſatis eſt tetigiſſe: vetantem
    Hoc quoque jam nutu contuor, & ſtreperis
Parco rotis inferre diem; qua non tamen ulla
    Candidior mihi, quaeque una potis fuerit
In nova mi nondum tentatam ſolvere venam
    Carmina, & haſce tibi extundere primitias.
Nec tamen hinc ſpernas, quod ſint ſine numine Phoebi,
    Et tantum promti pectoris e gremio.
Forſan tempus erit, veges, & jam paſſibus aequis
    Cum implebo numeros, docte Catulle, tuos,
Cum mage jam faciles Muſae mihi tempora cingent;
    Cumque dabunt plenis Caſtaliae cyathis
Hanc ſedare ſitim. Spem ſic ego ludere votis,
    Et ſoleo ipſe mihi ſubjicere hos ſtimulos.

Tunc operae fuerit, tanto conamine coecas
Affectare aliis, difficileſque vias.
Tunc primum te audebo meum vocitare magiſtrum:
Tunc primum doctis digna leges oculis.
Nunc ſaltem liceat, quae mens ſincera precatur,
Incomtis licet exprimere litterulis.
Jam rurſum abnutas? Abs me ceu publica diſcors
Verba tibi metuas, votaque de labiis
Nata, fidem nunquam veris jungentia rebus,
Inſulſas quorum nos toties phaleras
Riſimus. En nequeunt ſubiiſſe hoc altera pectus
Senſa, niſi dudum lecta tuis oculis
In fronte, àc vultu toto, praecordiaque intra
Ipſa, quoad fas eſt figere contuitum,
Juratis potiora notis, quibus absque parergis
In candore ipſo ſtat ſua credulitas,
Simplicitasque homines ſuperis nexura ſecundat.
O adſint! quando de facili poterunt
Annuere his cunctis, quae nulla ambitio, nullus
Faſtus, ſed tantum cura ab amante ciet:
In primis firmo ut praeſtent tibi corpore vires,
Et caveant ſtudiis obrutus immodicis
Ne frangas animum; ſed ut iſte laboribus aequus
Creſcat, & uſque novus ſit magis, ac vigeat.
Tum Latium, tum omnes poterunt laetarier artes,
Quae nunc ſubtriſtes temporis hanc morulam.

Exſpectant, procuſa typis tua ſcripta tueri
Dum tandem fas ſit: quando tuum tenebris
Protractum toti nomen celebrabitur orbi,
Et perget laude extollere poſteritas.
Sed quid ego haec tibi? Num cumulatis gloria dignum,
Quae tibi negligitur, praemium erit meritis?
Dum tantum affixus pluteo impalleſcere chartis
Aſſiduus pergis, dumque voluminibus
Usque lates circumſeptus, velut abdita acantho
Inſtat apis ſuccos undique colligere:
Dum nec laude hominum, magni neque nominis umbra
Duceris, & tantum ut pectoris accumules
Divitias, operae pernox, ac perdius haeres,
O lux! o vita carior, ac anima!
Te majora manent! Quae nunc tibi praemia differt,
Omina ni fallunt, hora dabit melior;
Arbiter & melior, ſtudiis qui ſervat honeſtis,
Et ſuper aſtra animis munera candidulis.
Hoc, Divi; ſiquid mea poſſunt vota, precesque
Si valeant quidquam, quas bene perſolui,
Hoc date, nec ſinite, ut vinclum, quod nectere caepi,
In terris, ora ceſſet in aetherea.
Haec animo precor; haec votorum ſumma meorum eſt.
Nunc forſan quaeris, qui mea ſit ſtatio?
Bella ſatis; quin, crede mihi, mage bellula, quam vel
Ipſe ego credideram. Sunt equidem, fateor,

Quae doleam mutilata: etenim qui dulcis imago
Tam cito tam memori diffluat ex animo?
Quem tanta haud crucient diſpendia? Sed meminiſſe
Quid juvat? Antiquos quid renôvare elegos
In queſtum? Bene ſat, ſi recte vivo. Mihique
Id tribuant Superi, Care, tibique, Vale.

RAYMVNDI CVNICHII ELEGIAE.

ELEGIA I AD BERNARDVM ZAMAGNAM AVDITOREM SVVM.

Dulcibus iraſci ſi poſſem laevus amicis,
Aut male ſi cuiquam dicere vel facere,
Praeſertim docto, Muſarum & ſacra colenti:
Iraſcar certe nunc tibi, nec facere,
Nec tibi ceſſarim male dicere, docte Zamagna,
Et mihi junctе arcto foedere amicitiae.
Id quando haud poſſum, nec fas eſt; quod licet unum,
Tecum pacata paucule mente querar.
Quorſum? inquis. Quia mi, luctanti plurima contra
Necquidquam, blandi carminis inlecebra,
Atque tuis precibus (quid refert, vi ſine dura
Id geſtum? vis eſt, crede mihi, haec etiam)
Carminis inlecebra, & precibus tandem eripuiſti,
Quod ſemel, atque iterum, ac ſaepius abnueram:

Digitized by Google

Verſa olim ut paterer Graiorum haec ſcripta, (*a*) latebris
Educi; ac, praelo ſubdita Palladio,
Quo fors cunque velit, ferri verſanda virorum
Saepe manu, & lentis inſpicienda oculis.
Quod, quoniam ſum pollicitus, praeſtare neceſſe eſt
Qualibet, atque datam non violare fidem.
Sed mi, Pol, miſero metuo male, ne, tibi morem
Quod cupido geſſi, poſtmodo poeniteat.
Neve mea haec, laudas nimium quae ſcripta, leporum et
Reris plena, jocique, & ſalis, & venerum;
Cum prolata foris proſtabunt, ſeque, ſuumque
Scriptorem turpi dedecorent facie
Horridula, atque incomta; ut quae mihi ſcilicet uni
Scripſi, ego privata ſemper habenda domo:
Aut etiam coetu in vatum recitanda; ſed acri
Lectoris numquam ſubjicienda oculo.
Triſte etenim ſcriptori oculus, ni cuncta probavit,
Expenditque ſedens, atque ſuum decies
Comſit opus, terſit, ductum exploravit ad unguem;
Tantillum ne quid verbave, resve labent,
Ne quid non mentes capiat, teneatque legentum,
Seque imis blande ſenſibus inſinuet.

(*a*) Sunt haec Graiorum ſcripta *Elegia Callimachi in Lavacra Palladis*, *Fragmentum Elegiae ex Mimnermo*, *aliquot Idyllia*, *Anthologica &c.*

Quae fugere oculos, poſſunt audita placere,
Quamvis multa ſuos noudum habeant numeros,
Et ſubito mentis confuſa calore ferantur
Confertim: interdum ludimus ut vacui,
Perque jocum verſus iucomtos, & male factos
Fundimus; aerii dicta ferunt zephyri,
Nubibus & longe miſcent oblita; nec unguem
Lentus ubi poſſit figere cenſor habet.
Ergo (*b*) Parrhaſias teſtari deſine lauros,
Quosque dedit plauſus docta corona virum,
Dum recito interdum mea carmina. Namque placebant,
Quae dudum incertas miſſa per auriculas,
Nunc vereor, ne pulcra parum, ne inculta putentur,
Ut primum fidis ſubdita erunt oculis:
Quique dabant plauſum laudantes, cuncta cachinno
Contemtim poſthac, ſibilo & excipiant;
Meque vocent vatem nihili, corrumpere ſolum
Qui malus interpres ſcripta aliena queam,
Barbariem & foedam Grajo admiſcere lepori.
Multa etenim heic ſquallent, inque polita jacent,
Quae fortaſſe alias laevabo, perque polibo.
Nunc, ut ſunt, abeant docta ſub ora virum;

(*b*) *Eſt locus in Janiculo, quo Poetae, Arcades dicti, convenire, ibique ſua carmina recitare ſolent, quem locum, lauris conſitum, nemus Parrhaſium vocant.*

Aut alium quaeraut, qui ſe comatque, fricetque,
Atque terat morſu pumicis ariduli.
Me piget, huc doctae poſt taedia longa palaeſtrae
Elapſus, tempe Tuſcula dum celebro;
Piniferos dum per montes, atque avia rura
Libera vix orto mens avet ire die,
Et fraudes moliri avibus, quocumque vocarit
Dexter plumoſum Faunus ad aucupium;
Hoc operae. His moeſtis Octobrem perdere curis,
Ringi &, quod peccet ſyllaba, & aſperius
Concurrat, vaſto vel ſe diducat hiatu,
Et genus hoc tricis; quae miſeros miſere
Affligunt ſenio triſti, occiduntque poetas;
Hisne ut ego tricis tempora laeta teram,
Tamque bonas luces, toto quas perditus anno,
Perditus ah, mentem dum grave frangit onus,
Exſpectoque, vocoque; ut portum navita laſſus
Ventorum a furiis & mari ab indomito?
Non, mihi ſi totam Phoebus pater Hippocrenen,
Et, quantum eſt lauri Pegaſeo in nemore,
Spondeat, ant Sicnli dulcem Paſtoris avenam,
Aut Cyrenaeus qualia Callimachus,
Qualia Maeonides vel magnus carmina panxit;
Nil ego mi tanto ſanus emam pretio.
Qnare vel dias protrude in luminis auras
Haec, ego quae nondum lumine digna puto:

Vel, parere mihi ſi vis, incondita noli
In partem libri ſcripta vocare tui;
Sed, quod promiſi, facilisque, volensque remitte;
Nec tibi ſit totis erubuiſſe genis.
Quamquam etenim tua te virtus, & vividus ardor
Victorem in rupes extulit Aonias,
Nec jam opus eſt quaeri, quonam duce veneris iſtuc;
Acer vt in ſpatio victor Olympiaco,
Dum turbam, fremitumque inter fugit ocyor Euro
Praecipiti ſonipes, ocyor & Borea,
Spectantum nemo quaerit, nec ſcire laborat,
Quis tenerum curſus imbuit ad rapidos,
Crura quis expediit, multaque exercuit arte;
Sat celerem eſt primo in pulvere noſſe fugam.
Attamen, o Bernarde, reor, tibi turpe putabis,
Nec poteris tacito non doluiſſe ſinu,
Si ductus dicare malo duce per juga Pindi,
Qui tibi monſtratas neſciat ipſe vias.

ELEGIA II

AD
IOANNEM PATRITIVM.

Parve liber, culti quem nuper Muſa Zamagnæ
Dictavit Pindi vertice in aerio;
Ille mihi multo ſcriptum, comtumque lepore
Miſit dulce ſuae pignus amicitiae:
Non ego te patiar privata in ſede morari
Inque meo ignotum delituiſſe lare,
Dum poſitum puluiſque tegat, blattaeque latentes,
Vel tineae morſu, trux genus, omnivoro
Pertundant foede. Clades haec dira libellis
Ingruat, invitis promere quos Chariſin,
Calliope invita, pergunt, incommoda ſaecli,
Suffeni proles impia, vel Bavii,
Vates ſtultiloquis complentes omnia nugis;
Nil canere aſſueti, ni Venerem & puerum,
Et pulcros dominae flammam jaculantis ocellos,
Et genus hoc tricas ſcilicet, atque apinas,
Hos nocte in coeca mergi decet, hos dare blattis
Incluſos pluteo prandia lucifugis.
Tu, mihi ſi qua fides, prodi jam lucis in oras;
Aude, age, te populo credere, perque manus

Digitized by Google

Ire hominum, atque acri cenſorum lumine cerni!
    Nil aequo eſt, hercle, ab judice quod metuas;
Sive legat caeli nantem in ſublime carinam,
    Sollerti vates quam ſtruit ingenio,
Propellitque novus Tiphys, monſtrante Minerva,
    Credo equidem, & campis victor in aeriis
Quo lubet, unde lubet, flectit ſub caerula vectam,
    Nubila, ſpectaclum gentibus; attonitae
Magnam quae molem capiti ſuperimpendentem
    Defixis monſtro ſuſpiciunt oculis:
Sive poli dominae laudes cognoſcere malit,
    Quam vates pulcro captus amore canit;
Quam ſequitur, quacunque tulit ſe dia puella,
    Et ſeſe formas concitus in varias
Induit, exſultatque, doletque; ingentia mire
    Ingenti miſcens gaudia moeſtitiae,
Ardeſcensque, urensque ſinus, & corda legentum;
    Qualis Felſinei Muſa (a) ſenis, merito

(a) *Franciſcus Zanottius, vir ſingulari doctrina, atque orationis elegantia, ſcripſit elegias in praecipua feſta B. M. Virginis; quae Bononiae typis editae ſunt* anno 1751. *Harum lectione, atque admiratione Zamagna excitatus, in eodem argumento quid ipſe poſſet, expertus eſt. Utinam multi exiſtant, qui utriusque exemplum ſequi velint, ac eodem in ſanctiſſimam Dei Matrem amore inflammati, conferant*

ad

Cui Thuſci aſſurgunt vates, vatesque Latini,
Atque mera e labris effluit ambroſia,
Dulcior & cycno, & Pandionia philomela,
Cantabat ſanctis iſta cupidinibus;
Cantanti patrio Rhenus plaudebat ab alveo,
Plaudebat totis urbibus Italia.
Felices ambo! ſertum Jeſſeis utrique
Stellifero in caeli vèrtice diva parat,
Ergo, age, parve liber: prodi: nil uſpiam ab aequo,
Nil, inquam, eſt, aequo ab judice quod metuas;
Non es, quem poſſit contemnere candida turba.
Nam triſti haud liber ſi quis ab invidia,
Stultitia eſt, quemquam quaevis huic velle probari.
Cui, quanto res eſt pulcrior, & melior,
Tanto ingrata magis mentemque, & lumina laedit;
Cui quisquis tandem ſe placuiſſe velit,
Et foedi ſaevos monſtri placare furores,
Mollis, iners, animi vanus & ingenii,
Gaudeat in vili obſcurus reptare popello,
Nec laudis quidquam cogitet eximiae.
Tu me audi, obſcoenique gregis ſannasque. cachinnosque,
Et dicta, & morſus temnere ne dubita

Con-

ad ejus laudes inluſtrandas poeticem facultatem, quam nunc quidam in res leviſſimas, bonaeque frugis inaniſſimas flagitioſe profundunt.

Contentus paucis, qui te vultuque benigno,
    Certatim & cupidis excipient manibus.
Cerne, favent, plauduntque tibi Bonamicius, atque
    Stajades, coetus lumina Pierii;
Atque alii, quorum quemvis ego ſcilicet unum
    Sexcentis longe millibus antefero.
Patritius nulli quos inter ceſſerit ille,
    Ille amor, ille urbis gloria Romuleae.
O *Patriti* ſalve, o Romae decus, o bone magnum
    Hoc *Patriti* duro in tempore praeſidium
Vatibus, omni omnes tibi quos adjungere pergis
    Officio, & dulci magnus amicitia
Dignaris parvos; in coetu & carmen eodem
    Saepe tuum laeta voce canis. Virides
Arcadiae teſtor lauros, collemque beatum,
    Et nemus, & nemoris lumina Parrhaſii.
Salve iterum, atque mei quae mitto pulcra ſodalis
    Dona (tibi faveat ſic tua Muſa) cape:
Cunctantemque domus tuta intra ſepta libellum
    Coge tuo inſcriptum nomine perque manus
Ocyus egreſſum, perque ora incedere vulgi;
    Nemo tuo clarum nomina laedet opus.
Fide patrocinio tali, jam fide libelle,
    Qualiſcunque nihil jam tibi permetue.
Patritii dicere liber. Fac cetera deſint
    Omnia, res una haec ſoſpitem & incolumem

Praeſtiterit. Livor fruſtra latrabit, amaris
Fruſtra te dictis lingua inimica petet.
Ut Phoebi poſtquam dignata eſt laurus amore,
Et dici germen coepit Apollineum,
Nil triſtes metuit nimbos, coelique fragorem
Horrificum: illa viret ſacra comam, patulos
Diffundens late ramos: flammantia circum
Tela Jovis magno denſa cadunt tonitru.

ELEGIA III.

AD
BALTHASARVM
ODESCALCHIVM. (a)

Quos Graji e Pindo flores legere poetae,
In latium quos fert nunc mea Calliope,
Selectos cura ingenti, pulcreque locatos
Affuſoque apte lumine fulgidulos,

(a) *Eſt is Livii Ducis Brachiani frater, ac eximius bonarum artium cultor & patronus, cui Cunichius, hacce elegia, ſua* Anthologica, ſive epigrammata Anthologiae Graecorum ſelecta, latinis verſibus reddita, & animadverſionibus illuſtrata *dicat.*

Hos tibi, Romuleae pubis decus, optime dono
 Balthaſar; hos proprium tu tibi munus habe.
Nec pigeat proaviſque (b), opibusque, & divite cenſu,
 Quotquot habes, magnis conſpicuum & titulis,
Excipere hunc facili vultuque, & mente libellum:
 Scis, haec ſcripta tuis nata ſub auſpiciis;
Scis jam lecta tibi, ſcis jam pridem eſſe probata.
 Et nunc, privati quod laris e tenebris
Haud metuunt claras prodire in luminis oras,
 Id faciunt, tibi ſe quod placuiſſe vident,
Cui nil non pulcrum poſſit, rectumque placere:
 Quem teneris puerum Pallas ab unguiculis,
Illa tuae ſimulans vultumque, & verba *Parentis*,
 In blando fotum nutriit ipſa ſinu,
Perdocuitque artes varias, ſenſuque decori,
 Metiri ut veris cuncta ſcias modulis;
Imbuit: indulgens large natura creatrix
 Cui dedit ingenium grande, ſagax; toties
Attonito ſimilis quod miror; amabile carmen (c)
 Vel cum Romana condis in Arcadia;

(b) Cujus ſcilicet paternum genus Innocentius XI; maternum Clemens XII illuſtravit.

(c) Carmina, quorum heic ſit mentio, cujusmodi ſint, facile judicari poteſt ex iis, quae in Arcadum collectaneis leguntur, iisque magno ſunt decori, atque ornamento.

Paſtorum denſa circum ſtipante caterva;
    Carmen quod cupidis auribus excipiunt
Et Fauni & Nymphae, longe Tiberinus & ipſe
    Immoto gaudens audit ab amne pater:
Vel cum Tarpeja praeſtans orator in aula
    Eloquii volvis flumina, mirificam
Doctrinae promens vim pleno e pectore (d); & artes
    Una doces Sophia ut provehat Omnigenas,
Duxque regat mentem, ſeu quis regalia tecta
    Condere, ſolerti ſaxa animare manu
Seu velit, ac tabulas vivis complere figuris,
    Quas natura opifex non neget eſſe ſuas.
Ut tua tunc tota defixi mente Quirites,
    Purpurei ut, Romae lumina prima, Patres,
Audibant taciti torrentia verba! ſtrepebat
    Ut laude ac plauſis turba frequens manibus!
Ergo tam docto, tam culto quod mea vidi
    Scripta placere, meis ſiderē Pieriſin

(d) *Haec vere dici fatebitur, qui legerit orationem anno CIϽ IϽ CC LXXI, XI. Kal. Majas habitam in aula Capitolina, ac deinde paulo poſt Romae typis impreſſam; in qua docet, a pictoribus, a ſculptoribus, ab architectis ſumma & perfecta opera confici non poſſe, niſi ad praecepta, atque adjumenta, ſingularum artium propria, accedat earum omnium quaſi dux quaedam, & moderatrix, philoſophia.*

Digitized by Google

Coepi; & cunctantes multum, multumque verentes
Protruſi coecis protinus e latebris,
Et juſſi claro verſari in lumine, & uno
Te fretas vulgi ſpernere judicium.
Cujus prae te uno vel centum millia fanus
Non hili faciam, nec rear eſſo aliquid.
Quanquam nec vulgi deerunt ſuffragia, vatem
Si modo magna tui nominis umbra tegat:
Quem *Patris* eximii veſtigia clara prementem,
Quo nihil eſt urbi carius, eximie
Omnes certatim laudant, mirantur, amantque;
Nec poſſunt cuiquam dicere, vel facere
Infenſi male, té qui ſidit cunque patrono,
Quem tu çunque favens dixeris eſſe tuum.

ELEGIA IV

De acerbiſſimo Chriſti Cruciatu, ac B. V. Matris Moerore.

En iterum triſtes ad fletus, flos ubi vatum
    Annua divino ſacra refert tumulo,
Adſum, magna vocant quo me tua juſſa, Neralce (*):
    Etſi nec verſus pangere ſuavidicos,
Moeſta nec Aonia praecingere tempora lauro,
    Fila nec auratae pellere nunc citharae
Optarim; dulci ſed me ſubducere coetu
    A comitum, & ſolas quolibet in latebras
Abdere, vel parvi ſubter faſtigia tecti,
    Vel denſum obſcuris in nemus ilicibus,
Aerias aut in rupes, Solymeia montis
    Quae juga de Domini caede cruenta mei
Mi referant. Illic laxarem fraena dolori,
    Atque hoc pro cantu fundere luctificos

(*) *Nomen ampliſſimi Praeſulis I. Herculani in Arcadia Principis.*

Digitized by Google

Praeſtaret gemitus, miſta & ſuſpiria crebro
Singultu: abjectumque, aegrum animi, adtonitum.
Nil fari, ſed perpetuo tabeſcere fletu:
Qualis ſollicito qui lapis in Sipylo
Usque madet, lacrimas nec ceſſat fundere ſalſas,
Quem ſubter caſu ſtillicidi adſiduo
Fons ſonat, & rauco trepidans per ſcrupea ſaxa
Murmure neſcio quam conqueritur Nioben;
Magno quam porhibent victam obriguiſſe dolore,
Deflentem prolis fata cruenta ſuae:
Illa ſuam flevit prolem; tabeſcere largis
Me juvat in Domini caede mei lacrimis.
Mi quisquam flendi tam caro in funere leges
Dicat? mene iſthaec tam fera ſupplicia
Cernere tam cari capitis, miſere nec lamenta,
Et gemitus imis rumpere pectoribus
Maerentemque, ndumque genas, luctuque furentem!
Quid mater? qua nil dulcius eſſe poteſt;
Illa Dei, illa hominum mater formoſa priorum,
Incaſſum quae flet, quae gemit anxifera
Curarum ſub mole. Tuus, Virgo aurea, non me,
Virgo, tuus non me vulneret iſte dolor,
Poſſit qui chalybis duram vim frangere? non tu
Preſſa tot aerumnis, non tua progenies
Hunc animum luctu penitus demergat amaro;
Exprimat his juges ex oculis lacrymas?

Atqui bruta etiam tellus concuſſa fragore
    Ingenti, ſciſſo moeſta ſinu, ingemuit;
Fluminaque ingemuere, & montes, & nemora hirta,
    Littoraque, ſcopulique, & mare monſtriferum.
Ipſe etiam coelo flevit ſol aureus alto
    Fulgentem & claro caeſariem capiti
Detraxit, lucisque almae volitantia longe
    Tela dolens atram condidit in nebulam.
Haec olim: nunc multa itidem poſt ſaecla novamus
    Ploratum ingentis maeſtitiae comitem.
Nam tamen & ſi heros magnam ſemel exantlavit
    Aerumnam, illaque tot praeteriere mala:
Nec quidquam ſupereſt niſi laus, & praemia laudis;
    Et ſi jam templis victor in aethereis
Jam victor, domita jam clarus morte, laborum
    Nec memor aeterna veſcitur ambroſia;
Et mater dulci gnato comes inter ovantum
    Pulchra ſedet laetas coelicolum choreas;
Mens tamen haec moeſtis ignorat cuncta diebus,
    Tempore in hoc laetum nil meminiſſe poteſt.
Illa modo ſeries magnorum immenſa dolorum,
    Quosque tulit gnatus, quosque tulit genitrix,
Obcurſat, moeſteque meum caligine pectus
    Opplet: cuncta ipſos nunc fieri ante oculos,
Cuncta meo penitus mi fixa in corde videntur,
    Usque adeo moeſtis fervet imaginibus.

Horretque, aegreſcitque animus, nec cernere patris
Summi probroſo in robore progeniem
Suffixam faede, miſeram nec cernere matrem
Suſtinet infaudis luctibus implicitam,
Pallentemque, aegramque, informi proxima trunco
Dum ſtat, dum gnato proxima ſtat gelida
Rupe ſuper, gemitusque audit, cernitque cruorem,
Omnibus e venis qui fluit, & niveos
Irrigat exundans artus, rivoque tepente
Subter humum, duros irrigat & lapides.
Nate Deo, noſtri nimium memor, immemor eheu!
Ipſe tui, divi ſi quid adhuc ſupereſt
Sanguinis, ah cohibe: jam large fluxit, & una
Humanum potuit gutta piare genus.
Noſtra ſalus nimio conſtat tibi: pone labori,
Pone modum, & vitae, lux mea, parce tuae.
Iſta, velis, nil te jam crux, clavique trabales
Laedent, nil denſis texta corona rubis.
Vaneſcet tumor hic, vaneſcent vulnera, nusquam
Livor erit, tua qui candida membra notat,
Membra olim puro diae quae ſanguine Matris
Ipſe fuis formans finxit amor manibus,
Addidit & rarum formae decus. Hei mihi! quonam
Forma? tuo quonam fugit ab ore decor?
Purpureae quonam fugit flos ille juventae,
Quo lepor, & dulci dulcia melle magis

Verba, humeris denſum quae vulgus nuper avebat
Excipere : ut patrias millia multa domos
Linquebant! montesque, & deſerta convalles
Complebant coetu littoraque, & ſcopulos
Mirantes, dulcesque epulas, & munera ſomni
Obliti! formae tantus in ore lepos,
Tanta inerat vultuque, & blandis gratia verbis.
Nunc tacitum, exſangui corpore, ſemianimem,
Triſti perfuſum tabo, plagisque tumentem
(Credo quidem) vix te noſcere, quae genuit,
Ipſa queat, matrum, quot ſunt, laetiſſima quondam
Nunc moeſta, & largis uda ſinum lacrimis.
Vae miſerae: ut triſtes exercent pectora curae,
Infixusque alte venit ad oſſa dolor!
Non ſecus, ac duro ſi quis praecordia ferro
Tranſadigens ipſam ſedem animi rigido
Cor petat enſe, ſecetque in partes, & ferus addat
Usque nova inflictis vulnera vulneribus.
Scilicet hoc, priſco patrum de more, puella
Quum dulcem in templo ſiſteret Unigenam,
Magnus terriloquo portendit carmine vates.
Hos matri luctus dixit: hic ille dolor,
Hic gladius, moeſta adtonitus quem mente canebat
Ora pio fletu cana tepefaciens.
Vera, ſenex, nimium tua ſunt oracla: parenti
Trajicit en molles cura, dolorque ſinus,

Illa quidem durum conſtanti mente laborem
    Perfert: nec flavam ſolvere caeſariem
Conſpecta eſt, tenuesve humeris abſcindere amictus;
    Non feſſo ad terram corpore ſemianimis
Concidit, extremo gnatorum in funere matres
    Qualia moeſtitiae promere ſigna ſolent.
Sed pallet, ſed turgidulos non dejicit aegra
    Usquam oculos dulci a pignore; ſed gemitus
Interdum incoeptat, materni parva doloris
    Indicia, & luctus maxima pars penitus
Obſcuris animi penetralibus abdita gliſcit,
    Curarumque intus millia multa latent.
Quas inter medius reſidet, gnatique cruentam
    Effigiem in laevo ſculpit Amor latere;
Immaneſque adigit procuſa cuſpide clavos,
    Texit & hirſutis ſpinea ſerta rubis;
Pingit purpureum, qui defluit inde, cruorem,
    Pingit quaeque ſuis vulnera ſaeva locis.
Liventesque notas flagrorum. Exempar imago
    Jam retulit, jam ſe filius, atque ſuas
Materno cernit poenas in corde, nitenti
    Ceu totum qui ſe conſpicit in ſpeculo,
Atque ſuam agnoſcit faciem, formamque, habitumque,
    Et quae ſit ſpecies, qui ſit in ore color:
Quae prius in pura cryſtallo cuncta figurant,
    Dein reduces oculis inſinuant radii.

Digitized by Google

Acer amor, ſi fas, operi jam parce cruento,
    Heu gnatum, heu matrem perdis! imago duos
Sauciat una, procul, procul iſthinc dncite Divam,
    Humani ſenſus ſi quid ineſt animo,
Qnisquis ades: fidae comites abducito Divam
    Vos longe; matrem filius heu! miſeram
Vulnerat adſpectu; maternum ſaucia pectus
    Adſpectn gnatum vnlnerat illa ſuo.
Ah! nobis, ah! quid fiet; ſi tempore in uno
    Utraqne deficiat vita? quod heu! ſupereſt
Solamen feſſis hoc rerum in tnrbine? cninam
    Linqnimur? haec potui dicere, docta cohors.
Qnod reſtat, ſi quis tam firmum pectore vates
    Robur habet, moeſtis verſibns expediat.
Me juvat hic tacitum largo tabeſcere fletu.
    Odit ſollicitns verba diſerta dolor.

ELEGIA V

De bono Aerumnae.

Nunc me nec coelo monſtratum cernere ſidus,
    Sancta nec Eoos ducere ad antra duces,
Nec quae hodie, Socii, patrum de more novaſtis
    Ad Domini cunas dicere vota juvat

Moerentemque, vagumque animi, nec verba diſerta
Jam ſtruere, & blandae fila movere lyrae,
Optantem ſolo tacitum ſed flere cubili,
Et triſti moeſtas imbre rigare genas
Tempore in hoc duro, noſtrae quum tot mala gentis
Sollicitum curis omnibus excruciant,
Pervelluntque acri morſu, retrahuntque parantem
Has me ad muſarum vertere delicias.
Heu mala tot noſtrae gentis! quam concutit ater
Turbo, ut quae magno cymbula in Oceano
Jactatur, nunc alte unda ſuſpenſa tumenti,
Nunc undas inter clauſa; nec interea
Aeoliae ceſſant circum ſtridere procellae,
Infeſtusque vagis puppibus Oarion.
Et tamen eſt moeſtis quaedam plorare voluptas;
Saepe gravis blando carmine cura ſolet
Mulceri, ut leni veluti perfuſa ſopore,
Pectora ne triſti ſpargat amaritie.
Saepe etiam toto penitus de corde fugatus
Omnis in aerios moeror abit Zephyros.
Teſtis Jeſſides, extorrem quem nemora ipſa
Fleſſe reor, quum ſeſe abderet in tenebras
Horrentem nigras antrorum, ſi qua latebra
Mortis ab indignae faucibus eriperet;
Quae ſe inopi, & profugo torvam ſuper oſtendebat
Uſque virum dira terrificans facie.

Ille tamen blando fallebat carmine curam:
  Et ſaepe Engaddi vertice in aerio,
Odollae aut celſa reſidens in rupe, ſub auras
  Jactabat moeſto e pectore ſuavidicum
Carmen, cui valles, & flumina reſponſabant,
  Reddebant miſſos & juga pulſa ſonos.
Interea longe maeror ſeceſſerat; alis
  Ludebant circum gaudia purpureis.
Salve ingens Jeſſida! idem rex, carminis idem
  Princeps, & ſacrae grande decus citharae
Tu dux: ire juvat tua per veſtigia; moeror
  Hinc procul immanes cedat in Odryſios;
Aut quaecunque usquam gens eſt mage laeta; ſecundae
  Ebria cui fortis corda favore tument,
Oblitae coeli, ac ſuperum, faedeque ruenti
  In ſcelus, errorumque implicitae laqueis.
Hinc metus, hinc abſit nigrae formidinis horror,
  Pallidus informi nec ſit in ore color.
Spes adſit, firmetque animos, dum certa propino
  Pharmaca, queis noſtro ſit medicina malo:
Dum teſtor, quae me ratio, quae lucidus ille
  Theſaurus veri, pagina ſancta docet.
Ferte, viri, molem quanta eſt ea cunque laboris:
  Eſt gravis, at nulli noxius iſte labor.
Eſt gravis, at multis pariet bona multa, paritque,
  Virtutem adverſi quandoquidem exacuunt.

Digitized by Google

Caſus, cos dura ut ferrum, partem licet inde
Abradat ſcabri concita vis lapidis.
Virtuti adverſi nil poſſunt demere caſus
Externae ſed ſi forte aliquid maculae
Adſperſum eſt, ſi quid foedum ſe immiſcuit intro,
Secernunt, purgantque omnia. Qualis aquae
Frigidus ille humor, quem lucidulae cryſtallo
Adſimilem rupes ardua progenuit,
Ceſſantem paullum ſi forte in gramine molli
Vel paſtor baculo, vel pede turbat ovis,
Decolor it lapſu tacito, dein aſpera praeceps
Inter raucifono murmure ſaxa fugit,
Scrupoſos per & anfractus, & ſcabra viarum
Multicavo anguſtum in pumice tranſit iter.
Interea coeni quidquid ſuit intus. id omne
Exuit, atque lacu marmoreo excipitur,
Diſtrahiturque avide plenae ad convivia menſae,
Splendeat ut puris lucidus in cyathis.
Illa etiam fulvi dives natura metalli
Deponit ſordes ignibus in mediis,
Quidquid & obſcoenae, terrae inter viſcera, faecis
Haeſerat, id rapidis flamma voluminibus,
Flamma vorax torquet, penitus flamma eximit, atque
Exemtum in nubes diſſipat aerias.
Illa tamen quemnam flaveſcens praebeat uſum
Maſſa? foret certe nil niſi pondus iners;

Nec multum ferro, aut lapidi praeſtaret honore
Quamvis pura, expers & penitus maculae:
Ni flamma ex acri eductam, ardentique camino
Artificum durus torqueat ille labor;
Extendatque trahens productam in mollia fila,
Gallica queis tenui faemina pingit acu
Purpureas Régum veſtes; iucude gementem
Vel ſuper, & multo verbere perdomitam
Diducat lamnam in tenuem, lenique ciendas
Languentis Zephyri flamine bracteolas;
Queis altum poſſit pulchre fulgere lacunar,
Tela vel artifici picta nitere manu.
Quid? niveum marmor non ferro caedere acuto
Inſtat Daedalea clarus ab arte faber,
Ille nihil parcens: validis late fouat aura
Ictibus, inque orbem fragmina diſſiliunt;
Donec ab informi ſaxo vel Matris imago
Jeſſeae, juvenis forma vel aligeri
Exit, ſpectaclum populis, arisque locanda.
Quid tellus? multis faucia vulneribus
Ni raſtrumque ferat patiens, & vomeris unci
Dentem, hirſuta rubis horreat uſque, ſinu
Nec pingues pleno ſpicas, nec dulcia poma,
Nec foetus poſſit fundere vitigenos;
Nec dici omniparens, lucifque efferre ſub auras
Tam varia haec noſtris uſibus apta bona.

Hem,

Hem, quod aquae, fulvumque aurum, quod marmor, & alma
Tellus, aerumnis ſcilicet hoc homines
Debemus, quae nos agitant, verſantque, premuntque,
Atque modis torquent omnibus: erudiunt
Sed tamen, & ſordes abſtergunt, & bona puro in
Pectore virtutum germina progenerant,
Germina ſanctarum virtutum, queis nihil usquam
Eſt, homini quod ſit pulchrius, & melius.
Nam quis, ubi incubuit nigrae vis dura procellae,
Non toto vanos exſpuit ex animo
Faſtus, & ſtultum deponit corde tumorem?
Ergo illa in penitis continuo exoritur
Senſibus, illa ſui contemtrix Diva, locari
Quae cupit extremo parva, humilisque loco.
Sed parvumque, humilemque alti rex magnus Olympi
In ſublime manu provehit ipſe ſua.
Hanc ſequitur vili ſe ſe patientia panno
Involvens, duris calibus indomita;
Indomita, atque invicta animi, & mala cuncta ferendo
Vicens: ut ſaevis obvia turbinibus
Rupes, quam circum ponti ſe caerula frangunt.
Adde huc ſpem, mergi neſcia quae melius
Confidit lapſis rebus fore, vimque tonantis,
Et promiſſa memor cogitat usque: preces
Adde etiam caſtas coeli ad convexa volantes,
Et ſuſpirantum pectoribus gemitus

Proruptos imis, & largo lumina fletu
    Uda vocantum altis vocibus auxilium,
Auxilium, ſummi auxilium Patris implorantum,
    Si quam tam duro in tempore mittat opem.
Atque aliquis jam terga cruento caedere flagro,
    Pectoraque infeſta tundere aperta manu
Incipit, aut lateri procuſa cuſpide ferrum,
    Aut Cilicum ſetis horrida texta adhibet,
Conſtringitque arctans: jam plenae fercula menſae
    Odit, nec poni dulcia liba cupit,
Non volucrem, aut longe quaeſitos per mare piſces,
    Ipſa ſed obſcurae fruſta juvant Cereris
Vilia, pubentesque herbae, veſcumque legumen,
    Sobriaque Albano dulcior unda mero eſt.
Sunt longa adſuetis requie, mollique cubili
    Queis aerumna omnem depulit ex animo
Torporem, & docuit noctes vigilare ſerenas,
    Aut feſſum in gelida ponere corpus humo;
Sunt, quos laetitia ſe ſe profundere inani
    Suetos, & nugas corde agitare leves,
Mentibus omnivagos, oculis foede omnituentes,
    Aerumna haud longo in tempore mirifice
Compoſuit rigidae ad normam virtutis, & alto
    Mentem animi coelo, lumina fixit humo,
Moeroremque pium inſpirans, & vana coercens
    Gaudia dementi proxima ſtultitiae.

Candida quid ſancti ſervatrix Diva pudoris?
Aerumnae multum debet & ipſa; gravi
Pondere curarum nec preſſis blanda voluptas
Obſcoenis mentem pulſat imaginibus;
Incaſſumque faces agitat foedus puer ille,
Ille comes riſus nempe, leviſque joci.
Quid bona paupertas, fortunae dona faventis
Quam certant miſeram ſedibus e propriis
Exturbare aſtu paullatim, & pellere matrem,
Matrem heu! gnatorum à limine? Nonne viget?
Nonne ſuas ſervat multo jam tutior aedes,
Unde abiit rerum copia pulſa procul?
Copia, paupertas multo quam valdius unam,
Quam duramque famem, & frigora ſaeva timet;
Quicum velle negat ſub eodem vivere tecto,
Et jungi diti nempe repugnat inops.
Illa quid, intentis nutum quae ſervat ocellis,
Rectorum & dictis omnibus obſequitur,
Illa Deo virtus vel blandi thuris honore,
Vel pecudum multo ſanguine grata magis?
Pulchrius adverſis in rebus clara refulget,
Subſtringitque aurem ſtrenua, ut imperium
Audiat, & quod opus non pigra mente faceſſat;
Nec durum quidquam, aut difficile eſſe putat,
Nec vanas fingit cauſas, nec ſegnis in horam
Differt; deprenſi fluctibus ut tumidis

Diſcurrunt juſſi ſua quisque ad munia nautae:
Hic remis torquet caerula, deonerat
Sentinam hic fluctu, hic per veliferas antennas
Aerium prono pectore ſcandit iter:
Juſſa nec indociles expendunt; una magiſtri
Sed vox, ſed nutus quo vocat ipſe, volant.
Ante ſed, o Socii, poſſim quam dicere, quodnam
Aerumna e pleno germina dia ſinu
Omnigenae fundat virtutis, Phoebus, Olympi
Qui medium curru celſus in ignifero
Pulſat, ad occiduam pronus deſcenderit undam,
Caeruleo & flavum merſerit amne caput:
Nec linguae centum nil non comprendere aveuti,
Oraque centum, & vox ferrea ſufficiat.
Hos ego mi aerumnae fructus, haec tot bona malim,
Has tam multiplices divitias animi;
Malim certe, auri quam ſi, quidquid fuit usquam,
Fortuna in noſtram congerat ipſa domum;
Noſtraque ab occaſu ſi late ſolis ad ortum
Ingens in niveis fama triumphet equis.
Quo mihi opes inopes, variae ludibria ſortis,
Quae tenui venti flamine caſſa volant?
Queis nec ineſt ſolidum quidquam, & pernicibus auris
Ocyus, exigua praeteriere die:
Quum maneat lethi victrix, aeternaque nigrae
Virtus Aerumnae candida progenies.

Attamen infelix hominum gens, quos ſuper eheu
Incubat obſcuris horrida nox tenebris,
Quantas Cimmeriis perhibent horrere ſub antris;
Quod fatui rem ipſam haud cernimus; at vacuas
Umbrarum formas, vana & ſimulacra ſequentes,
Neſcio qua foede ludimur a ſpecie.
Aerumnae ſi quid forte incidit, aut pater ille,
Ille pater, rerum quo ſine nil geritur,
Et nec ovis prato in florenti, nec cadit unus
Paſſer, dimidio veneat aſſe licet,
Aerumnam ciet omnipotens de vertice Olympi,
Atque jubet noſtrae tecta ſubire domus,
Porrigere & triſti implicitis bona pharmaca morbo,
Pharmaca quae patria miſcuit ipſe manu,
Contrahimuſque animum, viſuque horreſcimus ipſo,
Pallor & in moeſto plurimus ore ſedet;
Nec molles gemitus, & languiduli ſingultus,
Nec triſtes ceſſant currere lacrimulae.
Ut puerorum aetas, quae vult ſibi dulcia tantum,
Nigrantem abſinthi vidit ubi laticem
Praeberi, avertitque oculos, manibusque repugnat,
Et ſeſe matris rejicit in gremium
Singultans: morbum nec vult deponere; ſolam
Sed longe a labris pellere amaritiem.
Huic ſimilem quisquam ſe vir velit eſſe puello,
Et calicem, aethereus quem dedit ille pater,

Reſpuat, avertat vel labrum? non ego certè,
Non ego, ſed forti pectore, quidquid erit,
Sit licet his majus multo, graviusque ferendum,
Quidquid erit, forti pectore perpetiar;
Nec tibi, ſumme pater, ſpatium, legemve medendi
Conabor ſtultus dicere, & inſipiens,
Ignarus quid mi proſit. Tu profore quidquid
Noſti, fac, genitor: quae facis ipſe, placent
Omnia, nec paenae, luctus, opprobria terrent
Ulla; placent patria vulnera facta manu.
Ure, ſeca, qua vis; nec ferro parce, nec igni!
Ut lubet arbitrio, ſancte, medere tuo.
Aerumnamque auge, ſi vis, modo numine mentem
Firma, ne nimio victa labore cadat.
His ego nil melius video, quod poſcere poſſim;
Certatim haec vobis poſcite vos, ſocii.
Aequas det menti vires, aptetque ferendo
Dorſum oneri, inde malis urgeat, atque grave
Aggeret impoſiti pondus, duplicetque laboris;
Aerumna ut, morbi ſiquid ineſt, perimat;
Haerentemque animo ſcabiem, neglectaque ſanet
Ulcera, virtutes gignat ut innumeras.
Quarum ſe vi animus tandem tela omnia contra
Obfirmat mire. Surgere quin humilem
Paulatim ſupra terram, & terreſtria fuevit,
Attollique levis jam magis, atque magis,

Adtolli coelo vacuum per inane columba
    Usque volans penna praepete ad aeriae
Secretam petrae latebram, arcanumque foramen
    Pulchrum illud domini vulnus hians latere
In laevo; dulcem latebram, cunctosque paratum
    Perfugium ad caſus, quo ſubit, & penitus
Abſcondit ſe ſe cara in praecordia tutus,
    Jam tutus: terramque, & mare navigerum
Deſpicit, incertasque vices, & inania ridet
    Vota hominum, & curas, & ſtudia, & ſeriem
Hanc vitae inſtabilis, ſurſum converſa, deorſum
    Quae ſe perpetuo turbine circumagit,
Non caecae ad nutum fortunae, at vertier ille
    Juſſit ut invicto nomine coelipotens:
Cui ſe jam tota quum junxit mente, nec optat
    Rerum quidquam animus, nec timet, incipiens
Non tam ferre ſuos, quam non ſentire labores:
    Jamque adeo dulci dulcior ambroſia
Fit dolor, & cupide mens optat, quidquid acerbum eſt,
    Jam nec acerbum; id enim nectare ſpargit amor.
O fortunati, quos hic habet ardor, & ipſae
    Adverſae jam res, jam dolor ipſe juvat!
Talis fatidicus Daniel horrenda leonum
    Ora, atque immanes pectore magnanimo
Spectabat victus, quum flammis torva micarent,
    Lumina, & arrectas colla jubas quaterent;

Nec timuit, nec miſſa viro vox ulla querelae.
Forſitan & doluit non licuiſſe mori,
Diſcerpique avide, dulcemque impendere vitam
Sponte Deo, juvenem qui bonus, injiceret
Ut fraenum, & rabida obſtrueret citus ora ferarum,
Miſerat e coeli ſedibus aligerum.
Talis & illa trium virtus memoranda virorum,
Quos verita eſt gliſcens laedere flamma, Deo
Credo equidem, optantes exuri, victima ut aram
Uſta ſuper tepidum vertitur in cinerem.
Certe nec flammam fortes timuere, Deumque
Laeti cantabant ignibus in mediis.
Quid te Paule loquar? quid te fortiſſime rerum
Laurenti? vel te grandine ſub lapidum
Horriſona fractumque artus, multoque fluentem
Sanguine, dux pubis laurigerae, Solyma
Quem primum videre ipſo pia dogmata pulchre
Teſtari letho, quem manus inde virum
Innumera ad palmam laetanti mente ſequuta eſt,
Tot matres molli corpore, tot pueri,
Inſuetaeque laborum in prima aetate puellae.
Quidnam alii, ut tortor defuit? ipſi alacres
Quippe ſua omnimodis torquebant corpora, & ultro
Ibant Aerumnam quaerere per nemora,
Per ſilvas, monteſque altos, atque invia luſtra;
Et pars exiguam fronde operire caſam,

Digitized by Google

Pars orno, exeſave domum ſibi figere quercu,
Pars ſeſe in rupes condere, pars pluvias,
Hibernumque gelu nudo tolerare ſub axe,
Atque uri aeſtivi ſidere laeta canis.
Nec veſtis ratio, nec menſae: tegmina palmae
Praebebant, lautas amnis, & herba dapes.
Nec famae ratio: neſciri dulce, nec ullo
Eſſe loco: &, ſi quis laeſerat, aut taciti
Perferre, aut meritos ſeſe pejora fateri,
Optantes temni, ſub pedibusque teri.
Felices animae! nimium at miſer, & male fortis
Ipſe, omnis terret cui male cor pavidum
Aerumna, atque labor; mihi, qui nil quaerere quidquam
Ipſe auſim pauxillo aſperius, leviter
Quod ſenſumve aliquo pellat, mentemve dolore,
Quin & ſponte ſua quae obveniunt, renuam
Ferre libens, nec vel ratio, vel pulchra parentum
Haec exempla queunt, vae miſero! efficere,
Fortis ut, adverſae quae res, duraeque vocantur,
Amplectarque volens, & rear eſſe bonas.
Ergo aliquid majus promendum; ſurge, reperta eſt,
Surge anime; eſt omnis jam medicina mali
Prima reperta. Dei proles, Deus ipſe medelam
Fert veniens coeli ſedibus e patriis.
Tempus erit, monte in celſo praecepta beatae
Quum vitae incipiet pandere, quumque inopem,

Jactatumque odiis, foeda & maledicta ferentem
    Felicem dicet, gaudia laetitiae
Cui fas ingentis ſoli gaudere, relatum
    Quod ſe coeleſtes jam ſciat in tabulas;
Felices Divum tabulas, Rex aetheris alti
    Scribit ubi auratis nomina Sancta notis.
Vae contra miſerum ridenti, aeternaque monſtrat
    Servari horrendo in carcere ſupplicia.
Haec, & plura olim verbis: infans bona multa
    Aerumnae exemplo nunc docet ille ſuo
Unigena aeterni patris, Deus, omnia nutu
    Qui vertit, rerum conditor, has hominum
Delicias, & opes, & gaudia reſpuit, atque
    Deſpuit: Aerumnam hanc, nos homines fugimus
Quam miſere, hanc ipſam cupide complectitur, unam
    Hanc vitae comitem vult ſibi perpetuam.
Cernite: naſcenti cognata nullus in urbe
    Eſt locus; humano pulſus ab hoſpitio
Montivagas inter pecudes, horrentia dumis
    Antra colit, gelidae quae ſuper uſque nives
Denſantur, pluviaeque inter cava ſaxa meantes
    Manant e ſcabris undique pumicibus.
Mater inops inopem juxta gemit, haud potis illa
    Saevam hiemem, & Cauri frigida praecipitis
Flabra arcere: potis quod ſi fores, ipſe volenti
    Vel parvam aerumnae demere particulam

Infanſ obſtaret certe puer: obſtat ut illis
    Qui circum volitant aligerum thyaſis;
Obſtat ut Eois ducibus, ne ditia praeter
    Dona velint aliquo ferre domum in tepidam,
Quo nec hiems penetret, nec ſaevi flamina venti.
    Multaque det mollem ſubdita pluma torum.
Mox antro e dulci furor, & vis impia pellet,
    Verſaque in immeritum tela cruenta caput;
Quae fugiet, non ut vitet, ſed perferat olim
    Ut majora ſuo tempore ſupplicia.
Sancte fave; firmaque tua virtute tuorum
    Pectora, jam duras, te praeeunte, vias
Ingredior; jam nil terret: fractus ruat orbis,
    Impavidum hoc feriet vaſta ruina caput.

ELEGIA VI
AD MYRAEVM
SVPREMVM ARCADIAE CVSTODEM.

Quod me inſperato, nil quidquam tale putantem
    Eſſe unum veſtri, docte Myraee, chori,
Paſtoremque jubes fieri, atque inflare cicutas
    Ludentem Arcadio gnaviter in nemore;
Id gratum eſt, ſane gratum, acceptumque, profari
    Quantum vix potis eſt haec mea Calliope,

Quae ſe fracta animi, lucemque peroſa, neque hilum
Jam ſperans, penitis abdiderat laribus;
Nec prodire foras quoquam, aut oſtendere cuiquam
Audebat foetus pauperis ingenii;
Et ſaepe ingenti quos anxia non ſine cura
Verſus in longis noctibus extuderat,
Aut nigri obducens perdebat labe veneni,
Monſtra velut matri dedecus, aut avidae,
Quae comes adſtabat ſcribenti ſola, vorandam
Ipſa ſuam prolem ſponte dabat faculae:
Vel ſe contemnens, nec ſperans edere poſſe
Digna legi a quoquam, tempora vel metuens
Haec mala, non Phoebo, non ſanctis aequa Camoenis
Nunc eadem, tibi ſe quod placuiſſe videt,
Seque probat, ſervatque, ac profert ſcripta, caninum
Latrantis dentem nec timet Invidiae,
Quidquid & in teneros doctorum hirſuta poetas
Effutit grandi turba ſupercilio;
Atrox turba, ſapit cui nil non triſte, ſeverum,
Horridulum, iratis nata Heliconiaſin,
Irato riſu, atque joco, dulcique lepore;
Quae ſiquid vates promimus aerio
Delatum ex Helicone, aures quod mulceat apte,
Quodque animum pulchris lactet imaginibus,
Continuo id totum ſpernitque, ac deſpuit, & nos
Nil narrare niſi inſomnia vana putat:

Nil niſi falſidicis mendacia texere verbis ,
    Jupiter ! ut facies extima faede homines
Ludit ! qui penitus tamen omnia cernere ſeſe
    Rentur, viqne acris diſpicere ingenii.
Vana etenim in ſpeciem quae ſunt mendacia , condunt
    Saepe bonae multum frugis , & utiliter
Occultant vitae quod proſit , pandere verum
    Quod poſſit, mores quod regat , ingenuum
Quod certe adſpergat factis , dictisque leporem ;
    Ne pulchri , atque faceti omne genus vitiet
Ille iterum ſquallor Saturnius , & grave virus ?
    (Di talem longe avertite pernitiem !)
Et vita ad glandes redeat , mosque ille ferinus
    Aſperet humanum , diſſocietque genus.
Quem contra morem certum eſt pro parte virili
    Pugnare , atque iſtis , Pieridum ſtudia
Qui culpant , ſtulte ſapientes nolle placere :
    Sed magis usque tuo fidere judicio ;
Usque tuum , hos inter , queis nil eſt cultius usquam ,
    Paſtores , carmen ſcribere ad arbitrium ;
Tecum Maenalios , vatum nemora ardua , ſaltus
    Luſtrare , ac ſedes viſere Apollineas ;
Pulcher ubi veteris Jani mons , dictus ab auro ,
    Dat gelidum doctis coetibus hoſpitium ;
Gramineique tori ſubter , circumque , ſupraque ,
    Et myrti , & lauri , flexipedesque hederae ,

Rivus ubi, ſummo qualis de vertice Pindi
    Murmurat illa cadens nobilis unda pede,
Quam preſſo, ut perhibent, equus ales Bellerophontis
    Extruſam e duris cautibus elicuit:
Dulcis ubi vatum reſonat vox, flavus amoeno
    Quam Pater auditam Tibris ab amne refert;
Quam cupida bibit aure, oculos nec fantis ab ore
    Dimovet admirans denſa corona virum,
Fulgentesque auro proceres, regumque ſenatus
    Laudant purpurei carmina docta Patres;
Docta hercle! atque diſerta, ſuis quae non modo Panes,
    Et Fauni certant ſculpere in arboribus,
Sed Muſae excipiunt memores, inque aere nitenti
    Gaudent inverſis ſcribere litterulis;
Subdere dein praelo properant, impreſſaque famae
    Tradunt: illa volans trans Rhodanum, & Tameſim
Defertque, ſpargitque manu verſanda virorum
    Aſſidua, & cupidis usque legenda oculis;
Romuleis ne forte putent migraſſe Camoenas
    Collibus, Auſoniis praeferat ingeniis
Ne ſe usquam gens ulla, aut conferat. O bona pubes;
    O Phoebi, o Romae delicium, o columen,
Et decus Italiae, ſoli cantare periti
    Arcades! Algenti natus in Illyria
Verſor ego veſtro in coetu; jam carmina mi fas
    Pangere vos inter! jam mihi fas calamos

Maenalii Panos geſtare, ac tangere labro!
    Jam veſter ſocius dicor, & Arcas ego!
O niveam vere mi lucem! quid tibi, quid me
    Debere hoc tali pro merito fatear
Docte Myraee? queam quid reddere? Nempe quod unum
    Reddi vis, quoquo miſeris, ut docilis
Pegaſeos curſus ineam, & ferar ocyus Euro.
    Id faciam, id Faunos per tibi capripedes;
Panaque, Sylvanumque, ſacrisque horrentia lucis
    Maenala & Alphei flumina polliceor.
En age, jam da lyram; canam vel prima furentum
    Anguipedum in magnos praelia torva Deos,
Coeumque, Enceladumque, & ſaevae Pallados atram
    Gorgona, & irato fulmina miſſa Jovi:
Quidquid & ille, aufert dum monſtrorum genus omne,
    Paſſus falſiparens Amphitryoniades:
Orphea vel vatum Patrem, magnum Orphea, dignum
    Aequari ſummis Orphea Coelitibus;
Quandoquidem potuit caecis abducere ab antris,
    Saecla hominum, ac tetram pellere barbariem
Tetram hercle, ac foedam, turpantemque omnia foede,
    Quam cur non monſtris omnibus anteferam,
Herculeus quaecumque labor levibusque ſagittis,
    Nodoſo & clavae robore perdomuit?
Nam qua Stymphaliae volucres, Lernaeaque peſtis;
    Quave queat noſtrum perdere clade genus

Tanta, prodigium Nemeae, Leo, ſusve Erymanthi
Horrens, dentem acuens, aut vigil usque draco
Heſperidum; quanta vitam radicitus omnem
Perdebat gliſcens illa animi feritas
Abnormis, demens, infans; vi freta, lacertisque,
Et legum, & virtutum inſcia? quam domuit
Non haſtamve manu quaſſans, galeave timendus;
Sed placidus blandi carminis illecebra.
Namque virum dias mater quae in luminis oras
Calliope fudit vertice in Aonio,
Ipſa ſuas artes docuit, complensque bonarum
Notitia rerum multiplici, ac varia,
Et formans linguam, ac digitos cum voce loquentes
In numerum, juſſos ut lyra pulſa ſonos
Redderet usque comes verborum fida, nec auri
Grata modo, ſe vi praedita flexanima
Concentu ſenſusque imos, & corda cieret.
Quae poſtquam vates omnia perdidicit,
Floriferos Pindi ſaltus, maternaque regna, &
Dulces Phoebaei delicias nemoris
Deſeruit, miſerans hominum genus aerumnoſum,
Et ſolus pubem venit ad indomitam,
Nactus non coetum, ſed foeda armenta virorum,
Atque merum ſquallorem, horridam & ingluviem,
Nullus adhuc terram ferro ſubigebat arator;
Nemo usquam flavae divitias Cereris,

Palla-

Palladios nemo ſuccos felicis olivae,
    Aut Bacchi humorem noverat ambroſium;
Nuſquam urbs, aut patriae ſedes, privique Penates,
    Incerto paſſim per nemora hoſpitio
Vitam infelicem tractabant more ferarum,
    Pars ripis fuſi corpora flumineis,
Pars querceta inter ſtrati, glandemve legentes,
    Pars propter foetus, o pudor! arbuteos,
Unguibus, & rabido miſcentes praelia dente,
    Aut fuſte alternis non ſine vulneribus.
Ah miſeri! quum mens tenebris demerſa latebat,
    Ignis ut immundo ſuppoſitus cineri,
Nec ſcibant recti quid fons, quid limes honeſti,
    Juſque, piumque, & mos, & decor, & ratio:
Nec morem norant naturae: corda micabant,
    Seu tonitru ex atris nubibus audierant,
Seu valido perflata Euro ſilva alta ſonabat,
    Littora ſeu fluctu pulſa dabant gemitum.
Saepe illi ſuda Lunam quum nocte ruberet,
    Crediderunt ſparſas ſanguine habere genas:
Saepe etiam ſero cedentem veſpere Solem
    Clamarunt alto mergier Oceano,
Moerentesque diem magnis plangoribus almum
    Ibant extremis quaerere littoribus.
Dulcis at arguti poſtquam ſapientia vatis
    Pierium tacta carmen hiare lyra

Inſtitit, arrectas vix dum ſonus impulit aures,
Senſerunt imo in pectore mirificos
Adtoniti motus animorum; immania corda
Coepere ac ſaevam ponete barbariem
Paulatim; ut, verni quum ſibilat aura Favoni,
Deponit tumidas molliter unda minas;
Ille autem placidum leni criſpat mare flatu,
Permulcetque alis caerula puniceis.
Ac velut Hyblaeae volucres examina denſant,
Cymbala quum, & Phrygiae ſiſtra ſequuntur Opis;
Orphea ſic tum omnis gens effera circumſtabant,
Quos vates multa callidus illecebra
Captabat citharae pertentans fila ſonantis,
Dulciaque ignota carmina voce canens.
Jamque adeo illectis nutuque expromere coepit
Senſa animi, & voces addere, quamque ſuo
Nomine rem ſignans, linguae ut commercia ſtarent;
Quae poſtquam princeps intulit, altiloquo
Mirantum adgreſſus mentem percellere verſu,
Et turbare acri concitus eloquio.
Quis furor eſt, miſeri, glandem, atque cubilia propter,
Saevam fraterna ſpargere caede manum?
Quod genus hoc vitae? qui mos per luſtra vagari
More ſuum, & pecoris caprigeni? rigidam
Anne hiemem, ventoſque juvat perferre nivales?
An juvat adſiduo corda pavore quati?

Et media venienti urſo decedere noƈte,
  Et fugere impaſtae quum fremit ira Leae?
Ah pudeat foedi victus, pigeatque laborum;
  Jam vitam in melius vertere tempus adeſt.
Tempus adeſt, ratio quo ſe jam proferat alma
  Noctem abigens, Divum progenies. Animum
Noſce tuum, jam noſce iſtum, qui mente coruſcat
  Fulgor, quem puris Luna nitens radiis
Vincere non certet, non vel quo tempore clarum
  Metitur niveis aethera quadrijugis.
O bene conſultum, erectos ad ſidera vultus
  Quod gerimus: magni numinis illa domus,
Illa Dei ſedes, totum qui complet Olympum,
  Aeraque, ac terras, ac mare fluctiſonum,
Mentis & humanae latebras rimatur, & omne,
  Quidquid id eſt, penitus fasve nefasve videt,
Debita ne deſint virtuti proemia, deſit
  Ullis ne merces debita flagitiis.
Tum canit Elyſiumque nemus, placidamque piorum
  Sedem hominum, ingentis gaudia laetitiae
Praebentem aſſidue, camposque, & florea rura,
  Creſcentem & paſſim largiter ambroſiam.
Addit Cimmerias fauces, noctemque profundam,
  Jactantemque manu ſulfura Tiſiphonen,
Verberaque, immanesque rotas, volvendaque ſaxa,
  Rimantesque epulis viſcera vulturios:

Nota quidem vati, ſed nondum viſa; jugali
Nec ſibi adhuc vinclo junxerat Euiydicen;
Infelix, raptam fato quam luxit acerbo,
Quaeſivitque amens, condere ſe in barathrum
Nec timuit, luſtrans quidquid tellure ſub ima eſt,
Auſus & inferni limen adire Jovis.
Tempore quo, ut perhibent, inleсti carmine manes,
Latratumque triceps bellua continuit;
Sibila & Eumenidum torvi renuere dracones;
Nedum hominum poſſet cedere nolle genus
Suaviloquo vati, nec velle admittere cultum,
Communique ſuas figere in urbe domos,
Et, ſaevo terrore, ac vi procul ablegata,
Certare alternis comiter officiis.
Salve, magne parens hominum, interpresque Deorum
Barbaries primum quo duce victa fuit:
Salve Orpheu, meliorem agimus quo vindice vitam
Nec caecis aevi hoc degimus in tenebris.
Te ſequimur, te magne, pio qui pectore blandum
Parrhaſio carmen ludimus in nemore;
Culta fatis, tamen ut muſaeo tacta lepore
Romulidum niteat mens magis atque magis,
Neu morum inluvies, trans duros pulſa Gelonos,
Ingruat ah! pulchrae turpiter Italiae.

ELEGIA VII
ROGERO BOSCOVICHIO
ROMAM REDEVNTE.

Ergo meus foeda morboſi e ſede Maconis
    Rogerus niveis huc redit alitibus,
Et flavum Tiberim, & Capitolia celſa reviſit!
    Ergo virum, ſanctae foedus amicitiae
Cui me ſic totum devinxit, carior eſſe
    Ut fratri frater non queat unigena:
Cujus ſaepe meo mercari funere vitam
    Optavi, dabitur ſoſpitem, & incolumem
Amplecti, colloque affundi, notaque verba
    Audire, inque vicem reddere? Io trepidat
Pectus: io vario miſcentur corda tumultus,
    Mensque furit cunctis ebria laetitiis:
Qualem Agamemnoniam quondam perhibent Electram,
    Poſtquam inſperato, cui ſoror inferias
Miſerat, & flavum ponens de vertice crinem
    Moeſta diu falſos fleverat ad cineres,
Vivum inſperato, & reducem conſpexit Oreſtem,
    Plenam exultanti pectora laetitia
Bacchari inſanum in morem, nec parcere voci,
    Atque arcte fratris colla, humeroſque ſui

Complexam interea ſingultu non ſine crebro
Ubertim dulces fundere lacrimulas.
Aut nihil, aut paulum cui nunc mea gaudia cedunt
Quippe etenim ſimilis mi dolor, anxifero
Aegram convolvit curarum turbine mentem.
Ut timui! totos ut miſer obrigui,
Contremuique artus, triſtis quum nuncius aures
Perculit ah! foedos inter Othomanidas
Verſari extremo Rogerum in limine lethi!
Jupiter, ut moeror mi gravis obruerat
Mentem animi! aſſiduis ut luctibus externato
Incubuit magna mole dolor! ſocii
Objiceret quum ſe vigili pallentis imago,
Turbarentque animum ſomnia dira meum.
Infelix! longe nunc ille aut aeger anhelam
Axe ſub ignoto vix trahit ore animam,
Aut Thraces inter nulli defletus amico
Me miſerum! obſcoena contumulatur humo.
Nec proſunt, pura coluit quas mente, Camoenae,
Pulchraque Calliope, candida & Uranie.
Quamvis templa Deam coeli ſuper alta volantem
Uſque ſequens celeri flammeus ingenio
Aſtrorum poſitus, ortusque, obitusque notaret;
Dein caneret cultis omnia carminibus,
Quae Rhodani, & Tameſis probat accola, maxima rerum
Quae probat, & cupido lumine Roma legit.

Eximius Phoebi cultor, cultorque Matheſis
Num minus immitis triſtia Perſephones
Jura ſubit, fatoque cadit praereptus acerbo!
Jam cadit, aut cecidit; me miſerum! cecidit
Jam certe: (famae fruſtra mendacia culpo)
Heu raptè ante tuum dulcis amice diem!
Heu! jucunda tuo ſubito lux rapta ſodali,
Quem tibi Theſea junxerat usque fide
Communis patriae vinclum, & tua plurima virtus;
Ultima nec ſolvit mors; tibi perpetuos
Quin gemitus memor, & lacrimas dem nocte perennes,
Atque die, ſola triſtior Alcyone.
Haec timui, haec flevi. Fletum, & quaecunque timebam,
Jam levis in nubes diſpulit aerias
Aura, vel Jonium ſparſit mergenda per aequor.
Vivit io! mortis laetus & indomitae
Horrendos fugit rictus, almaeque Saluti
Debita pro ſalvo dona tulit capite.
Eſſeda quin rapuit victor, curſuque citato
Fertur ovans dulcem rurſus ad Auſoniam,
Et Latium, & Romae regalia tecta reviſit,
Quae tamen etſi olli neſcio quid tacite
Succeuſet, ſibi quod Gallos, triſtesque Britannos,
Et foedam Thracum barbariem antetulit,
Atque ſuis toties tam longe abſcedere moris.
Suſtinuit duro ferrens ingenio;

Attamen & lato praefert boue gaudia vultu,
Et reduci totos pandit amica ſinus.
Carpe viam, torto nec parce auriga flagello;
Quem vehis, exſpectat Roma, vocatque virum.
Ah! ne illum, ne quis, qua tranſit cumque, moretur,
Et teneat lentò blandus in hoſpitio.
Ah! ne illum abripiat diſcendi, quo calet, ardor,
Curaque viſendi plurima tardet iter.
Vindobonam timeo, priſcique Antenoris urbem,
Teque bonis florens artibus eximie
Felſina, Muſarum ſedes. Ah! parce, Roberte,
Parce tuis, oro, dulcibus alloquiis:
Cumque aderit, citharae ne pulſa fila ſonantis.
Felſinea longas ducet in urbe moras.
Audierit ſi te, Pindi florentis ocelle,
Miſcentem doctis pectora carminibus,
Mulcentemque aures cantu; quo ſurgere Thebae
Quippe iterum poſſint, denſaque in aerio
Silva jugo paſſim cautes reptare per altas,
Ad numerum & motis frondibus adnuere.
Di bene; non usquàm lentus ceſſavit, ab urbe
Jamque adeo haud longam fertur abeſſe viam.
Tertia mi reducem ſiſtet, vel quarta ſodalem
Lux bona, natali dulcior illa meo;
Dignaque ſignari nivei candore lapilli,
Digna mero, & blandi thuris honore coli.

Aurea lux, omni lux o mihi carior auro,
Formoſum Oceani profer ab amne caput.
Dium pulchra caput profer; ſic turbidus Auſter,
Nigraque, dum ſurges, nubila diffugiant;
Quaque ibis, ſternantque viam, largoque roſarum
Ludentes jactu luxurient Zephyri.
Interea ingrati quando haec me cura Lycei
Triſtis in occurſum longius ire vetat,
Haec mi animum certe paſcet venientis imago,
Ipſa ſibi quam mens pingit, & adſidue
Sic videt, ut vigiles vere quae cernimus, ipſis
Quae luce in media ſubdita ſunt oculis.
Qualis ades, Rogere, valensque, vigensque, nec ullis
Morborum, atque viae caſibus edomitus!
Quantus ades! rerum luſtrato ex orbe bonarum
Quas amplo incluſas pectore divitias,
Magne, refers! proh quae doctrinae aggeſta ſupellex
Omnigenae! quantam nec vafer ille domum
Tot terras Laertiades, tot caerula menſus
Rettulit, ille licet Protea fatidicum
Audierit, Circenque, & diae verba Calypſus.
Ut reducem laetis vultibus excipimus,
Et cupide affamur, ruimusque in colla ſodales
Unanimi! vix & credimus incolumem
Veniſſe! ut longos curſus, longamque laborum
Audimus cupidis auribus Iliadem!

Totque hominum mores, tot mira inventa, tot artes
    Narrantis diti paſcimur eloquio:
Miramurque, tuo & taciti pendemus ab ore
    Obliti ſomnum, furva licet bijugo
Procedens curru medium nox pulſet Olympum,
    Inque undas tardus jam ruat Arctophylax!
Haec ego decepta tuor ut praeſentia mente,
    Et rerum fictis laetor imaginibus.
Tu tamen o ſocii adventu mihi ſancta futura,
    Ocyus aequoreis, lux bona, ſurge vadis.

ELEGIA VIII

AD

ACHAMANTEM PALLANTIVM
SVPREMVM ARCADIAE
CVSTODEM

De Myraei Ropheatici obitu, Atque Apotheoſi.

Parrhaſii Cuſtos nemoris, quo praeſide laeti
    Arcades huc coetus rurſus ad ingenuos
Cogimur, has ducti ad ſedes, haec digna Camoenis
    Fulgidaque, & vario tecta polita opere,

Docte Achamas, ne mi lacrimas, ne flebile poſce
    Solvendum extremas carmen ad inferias.
Nec fas Arcadiam eſt fleri, te nacta magiſtrum
    Quae nitet, atque viget pulchrior, & melior;
Et vatem, ut ſtolidi plorantur funera vulgi,
    Flere pium moeſto carmine Muſa vetat.
Muſa etenim, tua dum cupidus praecepta faceſſo,
    Viſa mihi, & numeris parcere flebilibus
Juſſit, & incoepto ſtulte deſiſtere luctu.
    Id tibi ego, ut geſtum eſt, candidus hic referam.
Quippe dolens rapti deflebam fata Myraei,
    Phoebique inſtiteram ad carmina poſcere opem;
Huc dextro huc vatum Smintheu Rex numine, ſeu te
    Materna Aegaeis Delos in aequoribus,
Propter aquam ſeu te Parnaſſidos Hippocrenes
    Mons ſacer umbroſo detinet in nemore,
Huc pater, huc Thymbraee veni; ſed detrahe fronti
    Laurum, nec Syrio rore madens niteat
Caeſaries formoſa: oſtro pro divite pulla
    Veſtis ad extremos defluat usque pedes.
Omnia moeſta decent: magni nunc fata Myraei
    Flendum eſt, heu! ſaeva quem rapuere manu
Eximiis Parcae dignum virtutibus aevum
    Ad multas alias ducere Olympiadas;
Tithoni dignum durare, aut Neſtoris annos,
    Et longa incanae ſaecula Deiphobes.

Quid miſero ingenium felix, quid nobile carmen,
    Et magnum Latii nomen in Arcadia
Profuit; & vatum quod primus regna tenebat
    Parrhaſii cuſtos, arbiter & nemoris?
Quid ſua caeruleos ultra prolata Britannos,
    Hibernosque ultra fama Boryſthenidas?
Et vatum illa manus doctorum, littore ab omni
    Arcadicas nomen quae cupide in tabulas
Laeta dabat, ſeptemque ſibi poſcebat avenas,
    Aptaque paſcendo rura beata gregi?
Munera quid Regum multa, & praeclara tuliſſe,
    Gaudentum e coetu dicier Arcadico,
Gaudentum in Sacris ſcribi ſua nomina truncis!
    Quid miſerum haec Vatem tot bona tanta juvant?
Num minus heu ſaevo confumtus funere ſenſit
    Parcarum immites in ſua damna manus?
Crudeles Parcae, furum genus, omnia quarum
    Noſtra haec obſcoenis diſpereunt manibus!
Quarum nulla poteſt vim duram flectere virtus!
    Haec ego ſic multo triſtia cum gemitu
Verba dabam tremulo ſingultu infracta; fluebant
    Moeſtae perque genas, perque ſinum lacrimae.
Cum ſubito (vatum nec narro inſomnia, nec quae
    Decepta obſcuris viderit in tenebris
Mens animi ſimulacra, quibus ſed nil pote quidquam
    Eſſe usquam in Pindi verius hiſtoria)

Uranie ante oculos pulchra adſtitit; intremuere
Mi artus, haeſit vox faucibus in mediis.
Diva ſed accedens roſeo laetiſſima vultu
Horrorem, atque omnes expulit ipſa metus:
Mox ait: o rerum vates ignare, Myraei,
Quem tibi fles raptum, parce dolere vicem.
Nec Divum lacrimis viola; non triſtia Ditis
Regna, nec obſcuras incolit ille domos,
Ultricesque manus furiarum, atque ora veretur,
Sed viget in ſuperis umbra beata choris.
Illic nam ſedes vatum ſecreta piorum eſt;
Qui non Idalii furta leves pueri,
Inceſtosque arcus cecinere, ac noxia tela,
Florentemque genas Photida, & aureolo
Neſcio quae miſeris nectentem retia crine:
Sed divum laudes, factaque clara hominum,
Et quaecumque animis poſſent audita mederi;
Quos inter parili ſorte Myraeus agit.
Vidi egomet ſupra nubes, atque aurea vectum
Sidera, qua purum lactea ſternit iter
Semita; coeleſtem vidi cum ſe in tulit urbem
Late auro, & flavis undique chryſolithis
Fulgentem clare: quam largo interluit amni
Fons facer, & dulci dulcior ambroſia;
Unde haurit puros latices formoſa Juventa,
Miſceat ut magnis pocula Coelicolis.

Hic inter pubemque piam, vateſque beatos,
Prima illaec coetus lumina Parrhaſii,
Jam melior, jam ſe major, multaque coruſcat
Luce, dato felix & ſedet in ſolio;
Oceani tractus unde omnes, & ſola terrae
Cuncta oculorum uno diſpicit intuitu.
Regnaque, regnorumque vices, & inania laetus
Stultorum ridet votaque, ſpeſque hominum,
Et ſtudia, & miſerum vitae mortalis amorem,
Et quos carorum in funere tot gemitus
Funditis, abreptis ima ab tellure Deorum
Ad ſedes ceu ſi triſte quid acciderit.
Haec tu igitur mea dicta memor ſub pectore conde,
Vatibus atque aliis omnia dic, fatuo
Ne gemitu & vanis ſingultibus indulgentes
Nequidquam ſacros ſolicitent cineres;
Neve fleant Divum nihilo ſapientius, ac ſi,
Quem gravis unda mali verberat Oceani,
Et Caurusque, Notusque, & navifragi Aquilones
Deprenſum in coecos abripiunt ſcopulos,
Ventorumque, mariſque oblitus defleat illum,
Quem procul in tuto littoris hoſpitio
Functum dura videt pelagi, ac promiſſa parantem
Neptuno, & flavis munera Nereiſin.
Haec ait, eque oculis dilapſa evanuit; at mi
Neſcio quae tacitae gaudia laetitiae,

Intima mulcentis blando praecordia ſenſu,
Nubem animi, ac triſtes diſpulerunt tenebras.

ELEGIA IX

AD
EGREGIVM ORATOREM SACRVM.

Qui priſcos tantum ſcriptores aequat Olympo,
Tantum incana virum ſaecula commemorat,
Et contra, quidquid fert noſtra haec temporis aetas,
Deſpuit, atque alga vilius eſſe putat,
Quam tumido expulſam fluctu mare littore in udo
Liquit veſano ludibrium Boreae,
Neglectamque ſolo volvi ſinit usque viator,
Paſtorque, ac ſimae praetereunt pecudes;
Non veteres amat ille, odit ſed noſtraque, nosque,
Et foeda foede livet ab invidia:
Ipſam quin rerum naturam culpat iniquus,
Feſſa velut partu multiplici, ac vario
Illa ſuas penitus vires profuderit olim,
Proque viris puſos nunc ferat exiguos,
Parva hominum ſimulacra, quibus doctrinaque deſit
Omnis, mensque omni Judicio careat,

Nec magnum quidquam, quidquam nec promere ſalſum
Lingua gravi, & culto ſit potis eloquio.
Atqui nos etiam Pindo formoſus Apollo,
Et Muſae placido lumine reſpiciunt
Interdum, diſtantque aliquid, mirata nepotum
Aetas quod merita laude ſub aſtra ferat,
Aeterna & cedro curet ſervare, voraci
Ereptum blattae ſcilicet, ac tineae.
Noſtra etiam haec aliquem felici ſaecula parte
Progignunt, quem nec Roma vetus celebri
Magna foro quondam ſpreviſſet verba tonantem,
Graeca nec innuptae Palladis urbs, ſophiae
Illa domus, plenis doctrinae copia rivis
Unde omnes omnis didita per populos;
Eloquio poſſet qui te, Catilina, minaci
Praecipitem e patriis moenibus ejicere,
Flumineo poſſet ſolus qui obſtare Philippo;
Vimque animi fractis civibus indomitam
Barbaricas contra voce inflammare phalanges,
Pro patria ut vellent fortiter urbe mori.
Teſtis eris, V. . . meis tu, maxime, dictis,
Quem (pace hoc liceat dicere, amice, tua;
Nec tuus iſte pudor vatem deterreat, haec ne
Condita ſenſa animi candidus evoluat)
Quem divi ut primum annuerunt mi audire loquentem,
Continuo toto pectore dociderunt

Quot-

Quotquot erant Grajae, Romanae aut lumina linguae;
Sic mihi me totum protinus abripuit,
Abduxitque trahens, & ſe defixit in una
Iſta tui vis una, unica & eloquii.
Proh ſuperi! ille ſibi miro ut me junxit amore,
Reddidit ac ſanti morigerum, & docilem!
Ut diae clarus jactabat fulgura lucis,
Omnia dum pulchre diſpiceret ratio!
Ut penita omnigeno miſcens praecordia motu
Flectebat mentem qualibet omnivolam
Fraena tenens, ductansque, trahensque, & blandus, & idem
Interdum ſaevus, trux, ferus, horribilis!
Quippe animum laetus modo ſpe mulcebat, ovanti
Vultum hilarans, ima & pectora laetitia;
Cuncta metu interdum horrifico, moeſtoque pavore
Miſcebat: facie pallor in adtonita
Albus erat turbae miranti, corda micabant,
Ibant perque genas, perque ſinum lacrimae,
Talis praeſenti ſubnixus numine Paulus
Concuſſit Lyſtram voce Lycaoniam
Verba deo ſimilis, vitae cum ſcita beatae
Panderet alta novis non ſine prodigiis.
Cum tota interea ſeſe glomeraret ab urbe
Vis circumfuſi laeta fremens populi;
Clamaretque, hominum coetus inviſere ſummo
Delapſum coeli vertice Atlantiadem,

Dignum aris, templisque, & ſacri thuris honore:
Jamque adeo tauros duceret implicitos
Flore caput, vulgo circum plaudente, ſacerdos;
Ille autem ſciſſis in medios tunicis
Irrueret, coelumque, ac ſidera teſtaretur,
Se ſe mortali ſemine progenitum
Mortalem, ritusque Deum veniſſe nefandos
Ut longe ex Aſiae finibus exigeret,
Utque Deo tandem coeli, terraeque potenti
Cederet acta procul vana ſuperſtitio.
Haec ſantem attoniti ſpectabant; liba, coronae,
Et cultri oblitis deciderant manibus.
Cui ſimilem, V. . . tua haec te ſuſpicit aetas,
Tollit & eximiis laudibus aſtra ſuper:
Atque ſibi gaudet, te ſaltem nacta quod unum eſt,
Quem poſſit priſcis aequiparare viris:
Ne miſerae, male contemtae turba invida poſthac
Magnorum objectet ſaecula Romulidum,
Ne modo Cecropias fatue dum laudat Athenas,
Faſtu haec immodico tempora noſtra terat.

Digitized by Google

ELEGIA X

DE

PVERO IESV AD AQVILONEM.

At quae te in puerum dementia, quis furor egit,
Saeve Aquilo? o gelida frigidior glacie,
Quam celſa in Rhodope, aut in nubifero Apennino
Durat hiems longis aſpera frigoribus!
Num tibi, ſtat, quoniam ſic inſanire, patentes
Camporum tractus, num juga, num ſiluae
Ingentes deſunt? Qua caerulea Amphitrite,
Quaque pater fluctus explicat Oceanus,
Cuncta patent. Illic dignam te nactus arenam
Conare adverſis obvius ire Notis,
Et fluctus propelle, altum & quaecunque per aequora
Occurſant, rapido turbine frange rates;
Tum male jactatos allide ad littora nautas,
Ut lubet, aut mediis obrue gurgitibus.
Parce tamen puero: per luctiſonos vagitus
Obteſtor, per ſuſpiria, per iacrimas,
Infans turgidulis fruſtra quas fundit ocellis;
Jugis ut aerio liquitur e lapide,
Roſcidaque adſidue, muſcoque adoperta virenti
Saxa rigans laevi labitur unda pede.

Ah ſatis eſt coeca matris quod conditus alvo
 Pertulit obſcurae taedia longa morae;
Cognata ſatis eſt quod faſtiditus ab urbe,
 Adſpectuque procul, colloquioque hominum,
Deſertas pecudum ſedes, atque aſpera dumis
 Tesqua colit, quae nix deſuper alta cadens
Conſternit; manansque humor de pumice raro
 Concreſcit longam frigidus in glaciem.
Hoc, ſaltem hoc, inter tot dura, atque aſpera te te
 Ah minus immitem ſentiat ille ſibi:
Seu mitem potius, placidumque. Hoc, hoc age quamvis
 Aſper, & immani praeditus ingenio.
Pone iram, faevosque bonus dediſce furores:
 Hoc fac, ſeu fieri non pote, ſive pote.
Sed pote. Piraei portus, vicinaque portu
 Teſtis erit primarum urbs genitrix ſegetum.
Illic nativumque ferunt molliſſe rigorem,
 Atque tuas olim te poſuiſſe minas,
Quum Pandioniae gliſcens amor Orithyiae
 In veſtra ardentes impulit oſſa faces.
Ut tibi tunc imas pervaſit flamma medullas!
 Ut mitem e ſaevo reddidit, ac placidum!
Nam neque tam verni genitabilis aura Favoni
 Leniter umbroſis ludit in arboribus,
Nec Zephyrus tam leni almam Titanida flatu
 Antevolat, quam te tuae dominae in foribus

Vix ſtrepere adſuetae perhibent connubia fruſtra
    Orantem blandis non ſine lacrimulis.
Tene igitur flexit formoſa puella, tonante
    Editus hic durum ſentiet usque puer?
Pulchrior hic multo, & mage dignus amari eſt.
    Quae geminis certant lumina ſideribus
Aſpice, lacteolasque genas, & eburnea colla,
    Pectoraque intactas vincere nata nives.
Quique nitor puris pellucens undique membris
    Coeleſte ignotum non ſinit eſſe genus.
Ut quamquam in nimbos lucis pater aethereus Sol
    Vultumque, & currus abdidit igniferos,
Attamen obſcura fruſtra in caligine ſe ſe
    Occultans denſis involuit tenebris,
Namque comas piceo, diamque obnubit amictu
    Dum faciem, ipſe ſuis proditur a radiis,
Qui ſe ſe offuſis e nubibus erumpentes
    Spectantum incurrunt denique luminibus.
Parce ferox: neſcis tua quem dementia contra
    Arma ferat, neſcis quod facinus facias.
Auctorem laedis rerum, coelique potentem
    (Nec tremis admiſſi conſcius?) e nihilo
Qui coelum, terramque olim, camposque liquentes
    Undarum nutu condidit omnifero;
Aſtriferumque orbem ſtellis fulgentibus ornat,
    Aſtrorum & varias temperat usque vices.

Quem ſaepe ignifero percurrentem aera curru;
Terrentemque alto corda hominum tonitru,
Aligerum volitant ſubter mille agmina, mille
Poſt ſubeunt, totidemque antevolant acies,
Et Regis nutum obſervant, & juſſa capeſſunt,
Sive urbes fundo vertere ſacrilegas,
Seu peſtem populis, bellumve immittere juſſit,
Miſcere & ſubitis omnia funeribus.
Ille Auſtrum, Zephyrumque, ille & te condidit idem.
Pergis & auctorem laedere, ſaeve, tuum?
Ille velit, potis eſt damnatum carcere coeco
Te penitus rupes abdere in Aeolias,
Et potis eſt dura vel te vincire catena,
Vel procul arentes pellere in Aethiopas,
Nusquam ubi, queis aleris, queis gaudes, frigora, nusquam
Aut glaciem, aut patrias jam tibi, dure, nives
Cernere erit, ſed quod vicina lampade ſemper
Torret, & adſidue Phoebus hiulcat agros,
Regnat ubi ſemper, luditque tepentibus auris
Illa tibi inviſi ſcilicet aura Noti.
Haec puer, & majora poteſt, teque improbe quavis
Perdere, vel quovis excruciare modo.
Et faciet, pergis quoniam ſaevire, nec ullum
Heu facis irarum, ſtultitiaeque modum;
Nec te divinus durum puer, optima nec te
Virgo movet largis fletibus uda ſinum,

Muta metu, tremefacta animi, externata fragore
Horrifico, tua quem flabra cient, puerum,
Ah dulcem puerum tua ne mala flamina perdant,
Usque timens totis anxia pectoribus.
Sed jam ſive metu, dulci ſeu victus amore,
Seu noſtra motus conſtitit ille prece.
Non antrum horriſonis reſonat plangoribus: en ut
Vix ſiccae huc illuc pervolitant paleae.
Vana loquor: gravius rurſum, & crudelius urgens
Ah miſerum, ah flentem conficit, & lacrimas
Illius, & vanos queſtus, atque irrita noſtra
Diſcerpit campos dicta per aerios.

ELEGIA XI

AD
BENEDICTVM XIV,
QVVM EX GRAVI MORBO CONVALVISSET.

Sancte Senex, ipſo verſantem in limine lethi
Quum vidit nuper te tua Roma, metu
Palluit, & ſubito pectus concuſſa dolore
Ad coelum palmas, uvidulasque genas
Tollens; o ſuperum, dixit, Rex, o bona virgo,
Quam toties gelidis viſit in Exquiliis;

Cui vetus a templo ſenium deterſit, & auro
Fulgenti, & pario cuncta novans lapide.
O ſuperi, quos ad meritos provexit honores,
Scriptisque, & cura pervigil adſidua,
Cultori lethum veſtro prohibete; nefandum
Hoc potius miſerae mi prohibete malum.
Ille petet coelum victor, laetusque capeſſet,
Quam ſibi jam meritis ſtravit ad aſtra viam;
Me duri miſeram caſus, me longa ſequentur
Damna, Patris cari flebile diſcidium
Plorantem, & crebris ſingultibus incendentem
Omnia; nec memori longa dies animo,
Nec rerum ulla queat ſpecies objecta novarum
Eximere hanc imo e pectore amaritiem,
Quin repetam laudum tot clara exempla ſuarum,
Illaque munificae tot benefacta manus,
Et plenum Sophiae pectus, Suadaeque leporem
Ambroſium, & flumen divitis eloquii;
Quo docet humanas mira dulcedine mentes
Quo capit, & captas victor agit propere
Pulchram ad virtutem; dignus, cui vera monenti
Submittant animos extera regna ſuos,
Quem populi, Regesque colant, quem laudet, ametque
Certatim haec aetas, dein alia, atque alia.
Quem ſi dura mihi rapiat mors (ah, pater, atrum
Vaneſcat ventos omen in aerios!)

Uſque vocem; lucemque meo, noctemque dolori
  Indulgens largis usque fleam lacrimis,
Haec tua, depoſitum ceu cum flet moeſta parentem
  Filia, regalem Roma ſoluta comam
Flevit. Nunc eadem laetanti pectore geſtit,
  Nec cohibet tacito gaudia clauſa ſinu;
Feſta ſed ornatis indicit plurima templis,
  Ingerit & ſanctis thurea dona focis;
Atque bonis tanto grates pro munere Divis
  Solvit; laeta piis cantibus aura ſonat.
Qualis cum nimbum capiti ſuperimpendentem
  Deprenſus magno vector in Oceano
Cernit: ventorum ſurgentia flamina pontum
  Horrificant: olli corda pavor gelidus
Inceſſit: tremuere artus, exanguia pallor
  Occupat ora; undis naufragus in mediis
Turpes ne paſcat fluitanti corpore phocas.
  Idem, ſi clari continuo Boreae
Arida vis nubem ſolvit, fluctumque tumentem
  Stravit, jucundae gaudia laetitiae
Concipit; abſcedunt curae, pallorque, pavorque:
  Merſa natant placido turpia monſtra mari.

ELEGIA XII

AD

IOHANNEM CRIVELLIVM

DE

MARIA THERESIA HVNGARIAE REGINA &c.

Si quidquam infectum volui, indictumque fuiſſe,
Id volo de magnae laudibus Auſtriados,
Quod tibi ſum nuper, dum pergis, Amice, negantem
Hortari, atque preces addere, pollicitus
Ah temere, ah fruſtra: non quod ſumſiſſe laborem
Hunc nolim (quid mi dulcius eſſe queat,
Quid magis optarim vates, quam tollere ad aſtra
Hanc, vatum coetus quae fovet ingenuos,
Hanc, omnis docti quam cultrix turba Lycei
Doctrinae ſpem unam, praeſidiumque vocant?)
Sed quod (vera loqui ſcis haec me, Phoebe; ſcit alma
Calliope) Solem qualis ad auricomum
Lumina qui attolit cupide ſpectator, & haeret
Admirans, denſis obruitur radiis,
Caligatque oculos, nec lucem diſpicit almam,
Cuncta ſed obſcura condita nocte dolet:
Talis, conor ubi noſtri defigere in illa
Obtutum ingenii, coeca velut nimio

Digitized by Google

Fulgore in magna mens mi ſtupet heroina;
Tot bona, tot dotes perſpicit eximias.
Quas, ita ſim felix, nequeat memorare canendo
Moeonides vatum maximus, ille licet
Non tantum Aeolidem, & Achillea Laryſſaeum,
Verum ipſos cantu dicere grandiloquo
Eſt etiam Divos auſus. Contendere nam quae
Auſtriadi multo poſſit honore Dea?
Imperio magna eſt Juno, Cytherea decora eſt,
Ingenuas artes docta Minerva; Deam
Dos ſua quamque ornat, dotes complexa Dearum
Illa trium, magna eſt, docta, decora; pia
Praeterea. Huc forti virtutis robore ſeptum
Adde animum, & duris caſibus indomitum,
Conſiliumque ſagax, quo pacem, ac bella gubernans
Fortunam arbitrio torquet, agitque ſuo:
Non ſibi, ſed populis, quod regnat, commoda vitae
Cuncta parans, ipſis mentibus inluviem
Foedam illam abſtergens, artes quae fuſa per omnes
Omnem per Sophiam turpiter ingeniis
Doctorum inſedit, cum Grajus, cumque Latinus
Externis ceſſit ſordibus ille nitor.
Adde huc progenitos heroas, germina dia,
Stat quibus Auſtriacum, ſtabit & usque genus,
Stabunt ipſa etiam magnae benefacta Parentis,
Nec longo annorum victa cadent ſenio.

Digitized by Google

Haec ingens, haec me tot rerum copia terret,
    Miranti haec vocem ſurpuit, atque animum.
Quare promiſſas noli jam poſcere laudes;
    Ni vis forte aliquo laudis habere loco
Ipſum hoc, quod dixi, Vatum audax vincere cuncta,
    Illius vinci laudibus ingenium.

ELEGIA XIII
AD
FRANCISCVM MARIAM
ZANOTTVM.

Tune igitur, Phoebi, & Muſarum fama Zanotte,
    Et Tuſco, & Latio carmine ſenſa potens,
Aurea ſenſa tuae ſolus depromere mentis,
    Sic, nunquam ut rebus diſcrepet eloquium,
Et pulchra in pulchris niteat ſapientia verbis,
    (Auro gemma velut condita fulgidulo
Nativam intendit lucem, & formoſius ardet;
    Ardentem cupidis nupta novella oculis
Miraturque tuens, capitique imponere flavo,
    Aut collo rarum geſtit habere decus)
Tun' pateris, Tuſco quae ſunt tibi condita verſu,
    Me verſu hoc veterum dicere Romulidum

Conari, atque tuam prolem traducere veſte
    Exutam, dives quam dederat genitor
Regali fulgentem oſtro; pictamque figuris
    Omne genus, Nymphis prodigium Arniaſin?
Quin mi etiam (mirum) grates agis, ut bene de te
    Promerito, laudes laudibus accumulans
Large, atque effuſe; quas quum, Vir Magne, legebam,
    Quamvis mulcebant gaudia blanda ſinum,
(Nam quis, quem laudat, laudari nolit ab illo?)
    Attamen heu totis erubuique genis,
Agnovique nihil meritum me tale, tuum ſed
    Poſſe capi quovis pectus ab officio;
Teque itidem, ut Sophia praeſtas, & carminis arte,
    Praeſtare antiquis moribus, & facili
Ingenio, quidquam nec rerum ſpernere poſſe,
    Qualeſcumque tuo quod facimus ſtudio:
Quo me actum vertiſſe iſthaec tua carmina, Muſa
    Teſtis erit; lateri ſi tamen illa meo
Adſtitit, ac non me longe averſata refugit
    Conantem illepidis perdere verſiculis
Tam bona ſenſa; tibi adſpirans quae ſcilicet ipſa
    Dictarat Pindi vertice in aerio
Ingenuos propter fontes, genus unde leporum
    Omne fluit. Quos mi tangere ſi ſuperi
Dent fontes, fruſtra quaeſitos tempore longo,
    Non parvam e libro divite particulam,

Sed totum aggrediar verſu vulgare Latino;
Ut quae Arnus ſcit nunc, & Padus, & Tyberis,
Italiae fines intra non digna latere,
Iſterque, & Rhenus jam ſciat, & Tameſis.

ELEGIA XIV

AD

IOHANNEM BAPTISTAM ROBERTVM E SOCIETATE IESV.

Hoc fuit a magno quod mi, Roberte, Zanotto
Aureolum nuper venit epiſtolium,
Quo grates agit ingentes de re hercle puſilla,
Seque meo captum prodit ab officio,
Carmine quod Tuſco quae inſerat ipſe, Latinis
Verti ego per ludum paucula verſiculis.
Nempe virum ambierat veſtrae ſuada iſta Camoenae
Vafra ſubire animos carmine blandiloquo,
mulcere imos ſenſus, & fallere mentes,
Quam vult rem pingens ut lubet, atque humiles
Attolens coeli ſuper aurea ſidera nugas.
Jupiter! ut ſcite verſibus illa meis
Conciliat pretium! Charites mihi pangere Carmen
Aggreſſo fingens neſcio quas ſubito

Adſtare, atque manu certatim fingere crinem,
Et dare de verna mollia ſerta roſa;
Ora jocos circum interea volitare pudicos.
Quos ego juratus dicere non dubitem,
Tam Charitasque, jocosque omnes a me procul eſſe;
Quam procul eſt muris Felſina Romuleis,
Felſina quae Charitas cunctas ſibi vindicat uni,
Quae cunctis cunctos ſurpuit una jocos
Atque tua, atque tui rara virtute Zanotti,
Quem tu, blande, tui carminis illecebra
Induxti pulchre in fraudem, ſi vera putavit
Iſthaec de noſtro callidus ingenio,
Quae dixti me aequans Rogero ſcilicet illi,
Illi terrarumque orbis, & aſtriferi
Menſori egregio, niveis qui nempe quadrigis
Me tardum, ac ſegnem flammeus antevolat;
Cui me qui confert, poſſit viburna cupreſſis
Conferre, aut colles montibus aeriis.
Ipſe virum novique, & miror pectore toto,
Atque mihi multis partibus antefero.
Quamquam nec ſtudiis Muſarum ſcita Matheſis,
Lineolas nec, queis omnia mirifice
Conficit, ac pandit naturae arcana latentis,
Pieridum ſacris cantibus antefero.

ELEGIA XV

AD

AMPLISSIMVM PRAESVLEM
SVPPRESSO NOMINE.

Qualis ab aerio praecelſi vertice montis
 Paſtor ſaepe orbem ſuſpicit aſtriferum,
Admiransque oculos circumfert, nec tamen omnem
 Noſcere vel numerum, vel potis eſt varias
Aſtrorum formas, magno quae diſſita mundo
 Certatim fulvo lumine cuncta micant,
Cuncta ſimul praebent ſpectaclum dulce tuenti;
 Talis ego laudes eximias cupide
Jamdudum cerno, Praeſul, queis, inclute, fulges,
 Nec ſecus ac coelum ſideribus radians
Aurea perpetuae diffundis ſpicula lucis.
 Sed mi neſcio quis mentem animi tacitus
Invaſit ſtupor adtonito; nec dicere ſpes eſt,
 Quotnam ſint, quanam praedita ſint ſpecie
Singula, quae mi aciem magna, & miranda laceſſunt.
 Igneus ingenii te vigor ille, animum
Qui ciet, ac vento citius, volucrique ſagitta
 Hac illac celerem fertque, refertque, ſinus

Mul-

Multiplices veri ſcrutantem, atque abdita rerum;
    Te pulchrae inſignit fulgidus ille nitor
Doctrinae, ingenii quae dux terrasque peragrat,
    Et maria, & coeli templa ſupervehitur,
Omnia commonſtrans digito, quae noſcere fas eſt.
    Adde huc Doctrinae flexanimam ſobolem,
Quae lucem affundit rebus, quae pectora mulcet,
    Suada potens dulci dulcior ambroſia.
Quid vitae rectrix Prudentia? qua ſine recte
    Nil fieri; non urbs, non domus ulla queat
Stare diu, adverſaeque ictus evadere fortis.
    Quidnam illae, in numero quas numero eximias,
Ingentes, plenas virtutes. Aethere ab alto
    Ingerit humanis mentibus alma charis,
Terrenamque aufert labem, ſimilesque Deorum
    Eſſe dat? innitens queis animus humilem
Naturam ſupra coeli petit impiger arces,
    Jamque Deo cupide ſe magis, atque magis
Mente avida totum jungit, verique, bonique
    Notitias prima combibit e ſcatebra:
Inde hominum viſit coetus, vitaeque magiſter
    Vera docet, ſancit juſta: ducem populi
Hunc ſibi certatim cupiunt adſciſcere, cunctos
    Qui regat imperio, conſilioque juvet.
O felix, talem ſi qua eſt gens nacta, regendam
    Seque dedit! quamvis Africus, & Boreas,

Digitized by Google

Ventorum Aeoliis & quidquid prodit ab antris,
Saepe ratem undoſo jactet in Oceano
Ah pavidam ! ah ſcopulo allidi, frangique timentem!
Ille tamen forti pectore trans tumidos
Jactatam fluctus ducet, clavumque tenebit,
Dum ſternat facilem lenior aura viam.
Felix, quae talem nacta eſt, jam nacta. Profari
Parce alia, & vocem ſupprime, Calliope,
Officio ne jam pecces, ne nomine preſſo,
Quem landas, certis proditus indiciis
Noſcatur jam Vir. Nam quamvis mitior agno eſt,
Aut agno ſi quid mitius eſſe poteſt,
Dicitur iraſci torvus, nec parcere voci,
Si quis forte aliquam viderit, ac populo
Monſtrarit laudum, celari quas cupit ipſe
Nequidquam multo lumine conſpicuas

ELEGIA XVI
CLEMENTI XIII
DE
LVDOVICO FRATRIS FILIO
S. MARCI PROCVRATORE FACTO.

Etſi te Petri ſuprema in ſede locatum,
Unde hominum ſervas providus omne genus,

Digitized by Google

Conſulis & ſaeclo cupide in ſua damna ruenti,
Curarum adſidue millia multa premunt,
Nec mora quin alid ex alio ſemper tibi ſanctum
Perfundat multa pectus amaritie;
Dum aut Orci e tenebris librorum tetra venena,
Aut aliquid alicunde exoritur ſceleris,
Gliſcere nec fraudum ceſſat genus omne, Tuoque
Moliri usque malam perniciem pecori:
Attamen hic certe tibi candidus, hic tibi certe
Gratus ab Eoo prodiit amne dies;
Quaeque bonas mulcent blande bona gaudia mentes;
Attulit, atque omnes laetitias animi.
Ille Tui fratris claro dum ſanguine cretus,
(Quem Roma optanti reſtituit patriae
Nuper; necdum etiam nivea per moeſta cadentes
Deſiit ora manu tergere lacrimulas;)
Praeclarus Marci curator limine ab alto
Inſignis Tyriae prodit honore togae.
Tantus ut in Veneto niteat, vigeatque ſenatu,
Quantus Romuleis hic nitet in patribus
Carolus: eximiis Tibi quem virtutibus auctum
Purpureo in coetu ſemper adeſſe vides,
Inque ſinu tacito laetaris, ſuaviloquenti
Ore ubi fida pio e pectore conſilia
Incipit egregie cordatus promere: fantem
Suſpiciunt ſacri, prima virum, proceres.

Cui ſimilem (nam cur non te de colle Quirini
Abſentem haec longe noſtra Thalia vocet
Nota tibi, & partum ex merito gratetur honorem
Promens laetitiae conſcia dicta ſuae?)
Cui ſimilem te conſpiciet, Lodoice, ſedere
Inter praecipuos curia veſtra patres
Magnarumque uſu rerum, ingenioque vigentem
Acri, vi Suadae non ſine flexanima.
Ingredere, o magnae magnum jubar addite genti,
Et decus antiquis adde novum titulis.
Urbs tibi ſe pulchre viden' ut Neptunia comſit,
Et varia ornatas praebet ab arte vias?
Argentoque, auroque, & lucidula cryſtallo,
Et Serum pictis omnia velleribus
Collucent late; late circumſtrepit aura
Et plauſu, & votis, laetifico & fremitu.
Quem procul excipiunt ſumma Tritones ab unda,
Excitaeque udis Nereides domibus,
Et vaſtae pelagi qua ſe extendere lacunae,
Rezzonidum claro nomine cuncta ſonant,
Rezzonidum, atque tuo prae cunctis, optime Clemens!
Adriaci nam te magna maris domina
Progenito gaudet, multoque eſt laeta magis, quam
Sola quod Adriaci eſt magna maris domina.
Quippe illam ut mire tu, ſic te diligit illa,
Et civem eſſe ſuum jactitat aſſidue:

Et quod clara novi per te ſplendoris adepta eſt,
Omne cupit domui reddere grata tuae.
Sic eat, o, tecumque pie tua patria numquam
Certare alternis delinat officiis;
Atque tuos ornet, totque inter triſtia rerum,
Et magni curas imperii anxiferas,
Interdum tibi ſollicito frontemque ſerenet,
Compleat & dulci pectora laetitia.

ELEGIA XVII
AD
ABVNDIVM REZZONICVM
CLEMENTIS XIII
FRATRIS FILIVM SENATOREM VRBIS ROMAE DECLARATVM.

Non ego mirari dites, nec mittere ſuevi
Blandiloquam ad procerum limina Calliopen;
Nec ſi quid magnum vulgo, pulchrumque videtur,
Suſpenſo adtonitus lumine ſuſpicio;
Nec ſi quem plauſuque favens, fremituque ſecundo
Certatim omnigenis turba virum celebrat
Laudibus, & ſuperis miſcet Dis, hunc ego laude
Idcirco dignum ſcilicet eſſe puto:

Dignum, cui vatum ſudet chorus, & caput almae
Certent flore novo cingere Pegaſides.
Saepe etenim eſt, magno ſe ſe ut vir jactet honore
Dives, & antiquis clarus imaginibus,
Et multa ſtolidum percellat luce popellum,
(Externa quando hic ducitur a ſpecie)
Quem ſi intro inſpicias, penitusque excuſſeris ipſum,
Sit foeno, atque alga vilior aequorea.
Una meas virtus ſibi vindicat, una Camoenas:
Sive illa in tuta deliteat latebra
Sub lare privato vix ulli cognita, ceu cum
Gemma ſub alpina condita rupe latet;
Seu luce in media det ſe ſe clara videndam,
Gemma velut, longus quam labor e tenebris
Protractam, pulchreque politam, aut vertice flavo,
Aut niveo ſponſae collocat in digito:
Illa micat, flammisque, aut ſoli obverſa nitore
Spectantum irritat lumina fulgidulo.
Cui ſimilem nunc te nemo non gaudet, Abundi,
Publica produci ad munia, & eximio
Augeri, tua quo virtus clareſcat, honore,
Nota magis poſthac omnibus atque magis.
Quippe tuus, qui te dulci complexus amore
Diligit, inque ipſis fert oculis, Patruus,
Miratus moresque tuos, atque acre juventae
Surgentis primo in limine judicium.

Cultumque, ingenuasque artes, ſtudiumque juvandi
    Rem Latiam, atque hominum, qua patet, omne genus,
Non tulit indecori privatum degere in umbra,
    Et tibi te ſoli vivere; ſed populis
Jura dare, atque alta Capitoli ex arce parare
    Multa ſuis juſſit commoda Romulidis,
Et primum dixit civem, priſcique Senatus
    Et ſedem, & clarum nomen habere dedit.
Di tibi Neſtoreos dent annos, di tibi, Clemens,
    Aurea, quae condis, ſecla videre diu,
Tam clarum cupidae juvenem quod praeficis urbi.
    Hoc ſibi collatum martia Roma decus
Agnoſcit, gaudetque; ſuos nec jam illa Camillos,
    Nec meminit Marios, Scipiadas, Fabios,
Invictosque Catones, aut ſi quos magis hiſce
    Mirata eſt olim curia ſancta patres:
Curia concilio regum illaec nobilis, unde
    Jura ſibi reges ſceptriferi, & domitae
Armorum horrifico gentes terrore petebant
    Memnonio longe ab littore ad heſperium
Littus, Maurorumque a finibus Atlanteis
    Maeotim, & montes usque ad hyperboreos.
Hanc patrum ſpeciem, haec priſci decora alta ſenatus
    Urbs jam nec memorat martia, nec meminit.
Te ſolo gaudet, ſibi Te, Praeclare Senator,
    Conceſſum ingenti laetitia celebrat,

Et claras jaſtat certatim ad ſidera voces;
Aura tuo late nomine pulſa ſonat.
Vidi ego (nil vates non cernunt) vidi ego Romam
Haſta, & criſtato vertice conſpicuam
Rupe in Tarpeja; ridenti expromere vultu,
Teſtari & plauſis laetitiam manibus,
Teque alii cupide Capitoli ad tecta morantem
Late diffuſo ſaepe vocare ſinu.
Cui flavus pulchro de flumine reſponſabat,
Mite caput ferto vinctus arundineo,
Thybris; eum circa Nymphae choreas ducebant,
Pulchraque Neſee, pulchraque Callirhoe,
Xanthoque, Drymoque, & Leucis candida, & omnes
Udis excitae Naiades thalamis.
Quas inter medius de te narrabat, Abundi,
Plurima, & egregias corporis, atque animi,
Egregias, Divum & conceſſas munere paucis,
Tollebat dotes laudibus aſtra ſuper.
Ut tibi cunctae omni complerint pectus honeſto,
Et ſua quaeque tuo largiter intulerit
Dona ſinu Virtus, & ſedem tempus in omne
Fixerit ut ſibi ſub pectore quaeque tuo.
Illa ſagax vitae dux omnis, quae videt acri
Multa oculo, fineſque, implicitaſque vias,
Et varios rerum flexus, tempuſque, locumque,
Queis male neglectis nil pote confieri,

Digitized by Google

Quae tenet aequato geminas examine lances,
Quae mentem caſus firmat ad horrificos,
Fortunaeque ictus adamantina ridet iniquae,
Quae motus animi temperat indomitos
Fraena tenens, ne quo ſe foede inſana libido
Proruat; illa malis ſi male deliciis
Ambiat incenſum fallax Amathuſia pectus,
Si quando Idalius venerit ille puer,
Ille vafer, juvenum peſtis, volucresque ſagittas
Promat, & infeſtas expediat faculas.
Haec pater auditus flava Tiberinus ab unda
Inter mirantes pandere Naiadas;
Teque ſuum dixit, tanto & gaviſus alumno eſt;
Seque mari tumidus praetulit Adriaco.
Praeterea addebat quiddam de ſtirpe futura,
Utque potens Latio Rezzonidum incipiet·
Diffundi genus, & late increbreſcere ſeptem
Collibus aeternae germina dia domus.
Atque alii, atque alii clara de ſtirpe nepotes
Usque nova pubem Romuleam ſerie
Fulcire, ac lucem Romanis addere faſtis;
Unde & purpureos gaudeat usque patres
Roma legi, interdumque aliquem ſe attollere Petri
Ad ſedem, ſummi culmen ad imperii,
Virtutesque almas magni, & benefacta referre
Clementis. Tiberim talia commemini

Dicere, quae Proteo didicit monſtrante, vel ipſe
Fatorum arcanis legerat in tabulis.
Illum Paſtores, illum audivere canentem
Tauri non herbae, non memores laticis,
Pallentesque alni e ripa, ceu dicta probarent,
Viſae ſunt motis frondibus annuere.

ELEGIA XVIII,

EX

GRAECO CALLIMACHI VERSA.

IN LAVACRA PALLADIS (a).

Ite, age, loturae Tritonidos, ite miniſtrae;
Nam modo ego Sacras tollere equas fremitum
Audivi: ſacro in curru Dea vecta propinquat.
Ite agedum, flavae, o, ite Pelasgiades.

(a) *Puellas Argivas Minervae ſimulacrum (id impoſitum in currum ſolemni pompa deduci, atque in flumine Inacho ablui ſolebat) excepturas alloquitur hacce elegia Callimachus: docet, quid fieri opus ſit ad ſacrum rite conficiendum: monet, ne quis virorum ſpectator accedat; nam, dea conſpecta, oculos amiſſurum: id olim accidiſſe Tireſiae; cui, filio Chariclus nymphae, qua nulla fuerat Minervae acceptior, deam tamen fortuito viſam oculos ademiſſe.*

Digitized by Google

Diva ſibi magnos nunqnam abluit ante lacertos,
Quam niveas, terſo pulvere, lavit equas.
Tunc etiam, arma gerens nigro cum foeda cruore,
Dirorum pugna venit ab anquipedum (*b*),
Curru ſoluit equis primum fumantia colla,
Perluit & largi fontibus oceani,
Sudores, guttasque putres, ſpumamque rigentem
Ipſa ſua tergens candida Diva manu.
Ite, o Achaiades; neve unguenta, atque alabaſtros,
(Auditis? moto ſtridor ab axe venit)
Non unguenta Deae, niveos non ferte alabaſtros;
(Illa uti mixtis non amat unguinibus)
Non ſpeculum; ſemper, ſpeculo ſine, pulcra Minerva eſt,
Idaeis nec cum ſub Phryge verticibus
Lis fuit, in claro vel ſe dea magna orichalco,
Vel Simoenteis vidit in aequoribus.
Nec Juno: aes nitidum cepit Venus una, manuque
Diſcrevit lenta, diſpoſuitque comam.
At ſpatia exhauſit centum, bisdenaque curſu
Pallas, ad Eurotan ut lacedaemonia
Aſtra (*c*); dehinc tenui corpus perduxit olivo,
Illi Arbos purum quod ſua progenuit.

(*b*) *Gigantum. Ovid. Met.* I. centum quisque parabat anguipedum captivo brachia coelo.

(*c*) *Caſtor & Pollux, illi, ut Horatius vocat Od.* 3. *L.* I. Fratres Helenae, lucida ſidera.

Igneus, o' puerae, fulſit rubor; vt roſa mane,
 Punica vel ſciſſo cortice grana rubent.
Et nunc ergo marem tantum proferte liquorem,
 Quo Caſtor, quo vis ungitur Herculea,
Adſit & aureolus pecten, quo fingere pulcre
 Poſſit, & humentem tergere diva comam.
Exi, agedum, Pallas; praeſto eſt chorus innuptarum
 Jam tibi, magnorum ſanguis Aceſtoridum (d).
Magna Minerva, exi; tibi jam clypeus Diomedis
 Fertur: ut Argivos ille patres docuit
Eumedes olim (e), gratus tibi, diva, ſacerdos.
 Qui cum in ſe populi gliſcere conſilium
Senſit atrox, morteui vitans, fugitque, tuamque
 Crias in rupes abſtulit effigiem.
Crias in rupes; praeruptis, diva, locans te
 Cautibus, eſt nomen queis modo Pallatiſin.
Exi, age, jam Pallas, bellatrix, caſſide fulgens
 Aurata, & clypeum laeta & equum ſtrepitu.

(d) *Graecus Callimachi interpres ait, Aceſtoridas fuiſſe tribum Argivam, ex qua hae virgines Palladis miniſtrae deligebantur.*

(e) *Docet, Eumedem horum ſacrorum inventorem fuiſſe. Hunc, Argivis in eum conſpirantibus, Palladis ſimulacro ſecum ablato, in montem Crium profugiſſe, atque ibi deam collocaſſe; ex qua rupes illae dictae ſint Pallatides, ſive Palladiae.*

O, quae fertis aquam (ſ), ne flumina tangite: linquat
Flumina, fontanas & bibat Argos aquas.
Longe urnas hodie, famulae, ſive ad Phyſadiam,
Sive ad Amymonem ferte Danaiadem.
Nam volvet mixtas auroque, & floribus undas
Inachus, eque almis montibus adveniet
Pulcra fiuens divae. Tu lumina verte, Pelaſge,
Verte alio, imprudens ne videas dominam.
Adſpiciet quisquis dominam temere urbipotentem,
Tum poſtremum Argos viderit Inachium.
Magna Minerva exi: interea quandam ipſe puellis
Narrabo priſci temporis hiſtoriam.
Nympha, puellae, olim Thebis fuit una Minervae
Cara magis cunctis, quotquot erant comites,
Mater Tireſiae, qua nunquam diva carere
Quibat; quam (ſive ad moenia Theſpiadum,
Sive Coroneas iret, ſeu forte Haliartum,
Boeotum curru culta ſecans rapido;

(ſ) *Alloquitur mulieres, quae in privatos uſus aquam ex Inacho haurire ſolebant, easque monet, ut ex Phyſadia, aut ex Amymone, cui fonti Amymone Danai filia nomen fecit, aquam petant. Inachum enim hodie non hominibus, ſed deae fluxurum multo, quam ſoleat, ditiorem, ac pulcriorem.*

Digitized by Google

Sive Coroneas (*g*), ubi lucus fragrat odore
Olli, ſtantque arae Curalium ad fluvium)
Saepe dea curru ſecum tollebat eodem;
Nullum & nympharum colloquium, aut thyaſos
Gratus erat, nymphas ni duceret alma chariclo.
Parca tamen luctum neverat, heu, miſerae
Huic quoque, fida comes quamquam foret uſque Minervae.
Namque olim peplos utraque diſſoluit,
Aeſtatemque undis Aganippidos Hippocrenes
Lenibant, medio dum tacet aura die;
Lenibant aeſtatem ambae ferventibus horis,
Dum late montem poſſidet alta quies.
Solus adhuc, juvenem catulis comitantibus, ibat
Tireſias, ſacra ſe per loca circumagens:
Atque, ſiti aridulus longa, prope flumina venit,
Nec ſponte, infelix vidit in amne deam.
Quem, flagrante ira, tamen eſt adfata Minerva:
Nam quis te amiſſis hinc rediturum oculis,
Quis malus, Everida (*h*)! Haec te deus in loca duxit?
Sic ait: at puero nox premit atra oculos.
Obſtupuit; vox preſſa; artus tremuere, comaeque
Horrent verborum, conſiliique inopi.

(*g*) *Ita accipiendum, ut ſi diceret:* Sive, inquam, coroneas. *Sed vereor, ne locus ſit corruptus.*

(*h*) *Tireſias ab Apollodoro L. 3. Everei filius fuiſſe dicitur.*

Nympha ſed exclamat : quid mi , dea , quid , dea , gnate
Feciſti ? haec divum eſt , haeccine amicitia ?
Lumina mi ſurpſti pueri ! puer adſpexiſti ,
O puer infelix , Pallada ; ſed rutilam
Haud lucem adſpicies poſthac. Heu perdita mater !
O mons ! o Helicon nunquam adeunde mihi !
Magna emſti parvo (*i*) ; paucis pro dorcaſi , paucis
Pro cervis , heu ! heu ! lumina habes pueri.
Sic dulcem ambobus gnatum complexa lacertis ,
Qualis moeſta Itylum flet Philomela , parens
Triſte gemens flebat. Sociam miſerata Minerva
Solata eſt dulci comiter alloquio.
Nympha , iram cohibe , muta & , quaecunque loquuta es.
Non tibi ego puerum , non ego nocte premo :
Nec puerorum oculos venari eſt dulce Minervae.
Saturnus legem condidit hanc ſenior :
Adſpiciet quicunque deum , niſi ſi volet ipſe
Cerni , continuo det grave ſupplicium.
Quare hoc , nympha , ulli non eſt revolubile divum ,
Quod nevit laeva Parca ſevera colu ,

(i) *Magnum eſt , inquit , o Helicon , quod aufers , parvum id , quod dediſti. En quid filius meus , dum in te venatur , lucratus eſt : paucas capreas , & cervos abs te abſtulit , ſuos tibi oculos reliquit. Quibus verbis ſignificatur , Tireſiae magno ſtetiſſe venationem , quae illi occaſio fuerit caecitatis.*

Fudiſti puerum cum vitae in lumina: tuque,
Everida, tibi debita fata feras.
O quot Cadmeis (k) fruſtra dona ingeret igni!
O quot Ariſteus! quam ſibi diſcupient
Unigenam impubem vel caecum Actaeona reddi!
Ille comes Triviae ſcilicet, ille bonus
Curſor erat; ſed nil curſus, nil tela juvabit
Fortia cum magna ſaepe tuliſſe dea,
Viderit ut primum, nec ſponte, Lavacra Dianae;
Namque canes dominum protinus inſilient,
Diſcerpentque, avideque vorabunt: montibus errans,
Vix tandem inveniet, quae legat, oſſa parens,
Et te felicem, fortunatamque vocabit,
Vel caecus rediit cui puer e nemore.
Ergo, cara, iſtos fletus jam ſupprime; donis
Hunc ego te propter grandibus adficiam,
Eſſe dabo vatem clarum per ſaecula. ſeſe
Cui nemo e cunctis vatibus aequiparet.
Namque avium omne genus noſcet, quae proſpera, quaeque
Irrita, vel triſti laeva ſit augurio;
Multaque Boeotis oracula, multaque Cadmo
Concinet, ac magnis poſtea Labdacidis (l)
Ingen-

(k) *Autonoe Cadmi filia, uxor Ariſtaei, mater Tireſiae.*

(l) *Labdacus fuit pater Laii, avus Oedipi, proavus Eteoclis; qui omnes Thebis regnarunt.*

Ingentem & baculum, juſſo qui tramite greſſum
Dirigat, & vitae tempora longa dabo (m);
Et fatuos inter ſapiet (n) poſt funera manes,
Unus magni aula clarus in Ageſilae (o).
Sic ait, & nutu ſancivit dicta. Ratum ſit,
Quod nutu ſancit cunque Minerva. Dedit
Jupiter hoc uni prae cunctis nempe deabus,
Quas genuit; potis eſt quod pater, illud idem
Poſſe. Jovis Pallas prognata eſt vertice, vertex
Quod Jovis adnuerit, quodque Minerva, ratum eſt.
En venit, en tandem, nec fallor, diva: puellae,
Vos illam, cordi eſt ſi patria, excipite
Cum votis, plauſuque, & laetifico ululatu.
Salve, diva, urbi ſis bona, & Inachiae.
Salve, cumque exis, cumque alta ad moenia rurſum
Flectis equos; ſervaque, o bona, rem Danaum (p)!

(m) *Tireſiam alii ſeptem, alii novem aetates vixiſſe tradunt.*

(n) *Homerus Odyſſ. L. 11 tradit. Thireſiam apud inferos ſolum ſapere, caeteros umbrarum vagari modo.*

(o) *Ageſilas, ſive Ageſilaus eſt unum ex nominibus Plutonis.*

(p) *In hunc hymnum ſcripſit uberrimas, doctiſſimasque obſervationes Ezechiel Spanhemius.*

ELEGIA XIX

FRAGMENTVM ELEGIAE, DE VITA HOMINVM, EX GRAECO MIMNERMI VERSVM.

Non ſecus, ac viridem profert ver frondis honorem,
    Solis ut a primis incaluit radiis;
Mortales primo vernantes flore juventae
    Ludimus; & pravum nondum etiam ſuperi,
Nec rectum docuere. Adſtant nigrantia Parcae
    Numina, & haec ſenium triſte gerit, gelidam
Haec mortem intentat miſeris; fugit alma juventus,
    Et ſolis curſu praepete vincit equos.
Quae poſtquam primis coepit decedere canis;
    Vita ſubit triſti triſtior illa nece.
Curae animum carpunt acres; hic, paupere cenſu
    Atque famem, atque ſuis frigora dura timet:
Hic dulces optat gnatos; at pallidus orcus
    Optantem ad nigros admonet ire lacus:
Hic lente morbo tabeſcit. Jupiter aequus
    Nulli non hominum triſtia multa dedit.

F I N I S.

VA1
1551736

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

110
7
13

Digitized by Google